



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.

Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. I. Prædestinationis totalis nemo sibi est causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

CONCLUSIO I.

Prædestinationis totalis nemo sibi est causa.

PErinde est ad præsentem difficultatem, de qua causa morali intelligatur Conclusio; quàmvis juxta nostra principia debeat intelligi de causa morali solum terminativa; quippe, ut patet ex dictis de objecto voluntatis divinæ Disp. 2. Sect. 2. Conclus. 1. non admittimus propriè dictam causam motivam creatam respectu voluntatis divinæ; sed pro objecto motivo adæquato ponimus solam essentiam divinam, quidquid Aliqui in contrarium dicant. Itaque causa moralis hic dicitur, quæ movet propriè, sive impropriè, merendo, petendo, satisfaciendo, disponendo &c. Porro Conclusio sic intellecta est communis Catholicorum Doctorum, teste Smil. sup. n. 338. si propriè juxta morè Scripturæ & D. Aug. de prædestinationis effectibus loquamur. Licet enim quoad aliquos effectus in nobis dari possit meritum de congruo vel condigno, ut suo loco videbimus, haud equidem quoad omnes; quia non primæ gratiæ actualis, quæ tamen est verus & propriè dictus effectus prædestinationis, ut patet ex præcedenti Sectione. Rectè ergo dicit Conclusio: *Prædestinationis totalis*, id est, prædestinationis quoad omnes effectus, *nemo sibi est causa*, scilicet moralis.

Oppositum olim docuerunt (ut alios Hæreticos antiquos omittam) Pelagiani & Semipelagiani, quatenus asserabant, liberum arbitrium sine gratia interna Christi sufficere sibi ipsi ad salutem, aut certè ad initium fidei, per quod ulteriorem gratiam promeretur; eo ipso enim admittere debebant, quempiam sibi posse esse causam totalis prædestinationis; adeoque negabant gratuitam prædestinationem, qui error in variis Conciliis damnatus fuit, quæ vide apud Smil. sup. à n. 349. usque ad 359. Nobis sufficient Arausicanum 2. & Tridentinum. Audite Araus. can. 3. *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contra dicitur Isaiæ Propheta (cap. 65. v. 1.) vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum à non querentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant. Rom. 10. v. 20. & can. 4. sic ait: Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri constituitur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Preparatur voluntas à Domino (Proverb. 8. secundum Septuaginta) & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ad Philip. 2. v. 13. Atque de initio fidei ita scriptum habes, can. 5. *Siquis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationis sacri Baptismatis pervenimus, non per gratia donum, id est,**

17.
De qua
causa sit
Conclusio
intelligenda

Conclusio
est communis.
Smiling.

Quid intelligatur
per prædestinationem
totalem.

18.
Oppositum
Conclusio-
nis docue-
runt Pelagi-
ani & Semi-
pelagiani

Conclusio
probat ex
Conc. Araus.
can. 3

can. 4.

can. 5.

per

cicentem, nec non finalem; equidem ipsa terminatio nec efficientem habet, nec materialem aut formalem, ut patet; nam terminari non est physice causari, sed potius physice causare ipsum effectum. Quod ad causam finalem attinet, vel illa propriè nulla est; quoniam voluntas Dei non attingit effectum suum mediante novâ reali motione sui ipsius, cum in Deo omnia sint improducta. Et si quæ esset, constaret non aliam fore, quàm gloriam Dei, & manifestationem bonitatis ejus in vasa misericordiæ, juxta Apost. ad Rom. 9. v. 23. *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriâ. Et istud* Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Quàmvis revera non sint fines voluntatis, sed potius rerum volitarum, in quantum Deus vult unam esse propter aliam. Vide dicta Disp. 2. Sect. 2. Conclus. 7.*

Quæritur ergo hic de causa morali, ut contra physicam causam distinguitur; estque illa, quæ (in quantum moralis est) non habet realem influxum in voluntatem liberam (à qua sumitur moralitas) sed solum est voluntati conditio terminationis ad aliquod objectum, inquit Theod. sup. n. 274. Potest autem (prosequitur) esse conditio vel propter quam voluntas terminatur ad tale objectum, vel sine qua non terminatur; & priorem appellare possumus causam moralem motivam; posteriorem verò causam moralem terminativam purè. Tunc autem est conditio propter quam, & causa moralis motiva, quando ut ratio volendi allicit voluntatem ad volendum, sive talis motio fiat per productionem novi actus, sicut in nobis, sive solum per resultantiam specialis terminationis, prout quidam censent, Dei voluntatem moraliter moveri ab objectis creatis. Tunc verò est conditio sine qua non, & causa moralis purè terminativa, quando non est ratio alliciens ad volendum, sed solum est conditio, sine qua volita non est volitum aliud, cujus volendi causa moralis esse dicitur. Exempli gratiâ, Princeps vult aliquem conducere ad militandum, & sic conducto, fortiter militanti dare stipendium; illum esse sic conductum non est motivum volendi dare stipendium, est tamen conditio sine qua non id volendi; non enim nisi militi conducto Princeps vult dare stipendium; motivum autem volendi dare stipendium est servitium militis. Et similia exrogitari possunt in moralibus exempla infinita, ubi quidpiam est conditio sine qua non volendi, licet non sit motivum volendi. In physica etiam causalitate quid simile contingit; ut in motu efficiens est causa motiva; approximat verò ejus ad mobile est motionis conditio sine qua non, & sic in aliis. Huculque Smiling.

His suppositis, quæritur 1. an ex parte prædestinationum detur causa prædestinationis eorum, quoad omnes illius effectus. Loquor autem de prædestinatione hominum (postmodum acturus de prædestinatione Angelorum) & Dico Primum:

16.
His suppositis, quæritur 1. an ex parte prædestinationum detur causa prædestinationis eorum, quoad omnes illius effectus. Loquor autem de prædestinatione hominum (postmodum acturus de prædestinatione Angelorum) & Dico Primum:

per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, Beato Paulo dicente: Confidimus, quia, qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Jesu Christi (Philip. 1. v. 6.) Et illud: Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini (ibid. v. 29.) Et: Gratia salvi facti estis per fidem: & hoc non ex vobis: Dei enim donum est (ad Ephes. 2. v. 8.) Qui enim fidem, quam in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

19. Item Can. 6. Continimiliter loquitur Can. 6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, querentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hac omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri consuevit, & aut humilitati, aut obedientia humana subjungit gratia adiutorium, nec ut obedientes & humiles simus, ipsius gratia donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? Et: Gratia Dei sum id, quod sum. Transco Can. 12. 14. 15. 16. 17. 18. in quibus eadem traditur doctrina, & concludo cum hinc verbis Can. 25. Hoc salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono (quod ad salutem pertinet vitæ æternæ) non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamus; sed ipse nobis, nullis precedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat. Quis jam non videt, si tamen habeat oculos apertos ad videndum, in his Canonibus expressissime damnari Semipelagianos? Sed & implicite damnantur Pelagiani. Nam qui negat necessitatem gratiæ ad salutem, consequenter negat necessitatem gratiæ ad initium fidei; etenim si gratia est necessaria ad initium fidei, & fides est necessaria ad salutem, liquidò constat, gratiam esse necessariam ad salutem.

20. Obiectio. Nec bene dixeris: istud Concilium tantum fuit provinciale; ergo dicti Canones non habent infallibilem auctoritatem. Respondetur namque ex Theod. sup. n. 352. Capitula seu Canones illius Concilii non tam ab illis Patribus, quam à Sede Apostolica definiti fuere, adeo ut de istius Concilii confirmatione, utrum à Sede Apostolica facta sit, & à quo Pontifice, Theologo quidem non sit anxie inquirendum, cum constet illos Canones, tanquam à Sede Apostolica emanantes, habere infallibilem veritatem, & certam fidei regulam continere. Sic ille. Et merito.

21. Probatur Conclus. ex Trid. Sess. 6. cap. 5. Nec tantum in hac provinciali Synodo, sed etiam in Oecumenico Concilio Tridentino damnatus est error Pelagii & reliquiarum ejus. Nam Sess. 6. cap. 5. Declarat . . . ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum praveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus me-

ritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averfi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratia liberè assentiendo & cooperando dispensantur. Et Can. 1. dicit anathema ei, qui dixerit: Hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturam vires, vel per legis doctrinam sunt, ad suam divinam per Iesum Christum gratiam posse justificari coram Deo. Idem definit Can. 2. sequentis tenoris: Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed egi tamen & difficulter possit, anathema sit. Accedat Can. 3. Si quis dixerit, sine praveniente Spiritu sancti inspiratione atque ejus adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut penitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

Igitur bene probatur Conclusio nostra et dictis Conciliis. Nam quod aliqui respondent, solum negare meritum condignum ex eo factum reijcitur, quod Semipelagiani non docuerint meritum condignum, sed tantum congruum, ut clarè colligitur (inquit Felix de Grat. cap. 4. Diff. 5. n. 2.) ex Cassiano lib. 12. Institutionum c. 14. ubi ait: Dicimus enim petitionem, pulsationem nostram non esse condignam; prædò est namque occasione tantummodo. Quibus verbis negat meritum condignum, & fatetur tantummodo occasionem, quod est meritum congruum.

Secundò colligitur: nam illud meritum ante gratiam & fidem colligunt Patres fateri Semipelagianos, quod ipsi Patres dicitur fidei post auxilium gratiæ; at meritum fidei, sicut ex gratia ab homine peccatore, non est condignum, sed tantum congruum; ergo Semipelagiani meritum congruum communiter fatebantur. Ita Felix. Tu cogita, Joannem Cassianum unum fuisse ex antesignanis Semipelagianorum, ejus verba ita refert Smiling sup. n. 311. Dicimus enim secundum Salvatoris sententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulsantibus sed petitionem, & inquisitionem, & pulsationem non esse condignam, nisi misericordia Dei id, quod petimus, dederit. Prædò est namque occasione tantummodo bona voluntatis à nobis oblata ad hæc omnia conferenda. Et nihilominus Theod. sup. n. 317. putat, hanc rem non carere difficultate, ut dicitur ibi ostendit, allegans sex rationes in oppositum, quas tamen n. sequenti conatur solvere. An autem bene solvat, judicium maneat penes Lectorem.

Ego dico, dato, quod Semipelagiani docuissent, dari meritum condignum primæ gratiæ & actualis; equidem efficaciter probari ex dictis Conciliis nostram Conclusionem. Quippe dicta Concilia negant, omne boni salutis initium esse ex nobis; jam autem meritum congruum debet esse aliquod initium, id est, principium & causa moralis, juxta ante dicta, nostræ salutis seu prædestinationis; ergo non solum meritum condignum; sed etiam congruum negant; quidquid Semipelagiani senserint vel non senserint de initio fidei, quod dicebant esse ex nobis, sepe ex

solis viribus liberi arbitrii, utpote quædam fides humana & imperfecta, & nihilominus meritum, saltem de congruo primæ gratiæ actualis necessariæ ad fidem, & alia bona opera supernaturalia. Si inferas: ergo damnantur per illa Concilia multi Doctores Catholici, qui posuerunt meritum congruum gratiæ actualis. Respondet Smil. sup. n. 370. nullos Catholicos Doctores docuisse, quod primam gratiam actualem de congruo mereamur; sed locutos fuisse de prima gratia habituali, vel subinde de aliqua gratia actuali post primam, prout fusè ostendit hic Auctor n. 334. & aliquot sequentibus. Vide ipsum ibi.

Sed enim, instat aliquis: Concilia absolute, & sine ulla distinctione negant meritum gratiæ, juxta illud Apostoli Rom. 4. v. 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Et v. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Item Rom. 11. v. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Hinc Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 8. Cum Apostolus dicit (Rom. 3. v. 24. & 25.) iustificari hominem per fidem & gratiam, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perperam Ecclesia Catholica consensus tenuit & expressit; ut scilicet per fidem idèd iustificari dicatur, quia fides est humana salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire: gratia autem iustificari idèd dicatur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur: si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia. Infero: ergo Concilia vel nihil probant, vel nimium probant; scilicet neque secundæ gratiæ actualis, neque primæ habitualis dari meritum; quod est contra communem doctrinam Catholicorum, ut infra latius dicetur.

Respondetur: Concilia indefinitè loquentia intelligenda esse juxta sensum Hæreticorum, quos damnant: nunquam autem fuit questio cum Hæreticis de merito secundæ gratiæ actualis, aut primæ habitualis; sed primæ actualis, quæ auxilium, & adjutorium gratiæ appellatur: imò etiam subinde gratia justificationis, vel quæ, aut in qua justificamur; quia videlicet per illam primam gratiam actualem, saltem remotè, ad justificationem disponimur. Ita intellige Concil. Milevitanum 2. sub Innocentio I. à quo confirmatum fuit, quando cap. 2. ait: Quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.

Item cap. 1. Quicumque dixerit, idèd nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam, est gratia non daretur, non

quidem facile, sed tamen possumus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. Porro hæc interpretatio colligitur ex cap. 4. sequentis tenoris: Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Certum autem est, illud non fieri primò per gratiam formaliter justificantem; sed per gratiam actualem, quæ, ut dictum est, remotè disponit ad justificationem.

Pro quo ulterius nota, Concilium in his Canonibus potissimum intendisse condemnare Pelagium, qui negabat omne internum auxilium gratiæ necessarium ad simpliciter posse observare mandata divina. Ergo de tali auxilio loquitur Concilium. Ac proinde per gratiam, quæ, vel in qua justificamur, non tantum intelligitur gratia formaliter justificans, sed etiam aliquando gratia actualis. Quantum ad dictum Apostoli, quod Concilia pro ratione assignant: Si autem gratia, jam non ex operibus: sensus est (juxta Theodo. sup. num. 370.) in quantum gratia, sic non ex operibus. Unde si sit simpliciter ex operibus, simpliciter gratiæ rationem non habet; si verò sit secundum quid ex operibus, secundum quid rationem gratiæ non habet; tamen simpliciter rationem gratiæ habet. Est autem simpliciter ex operibus, quod est ex condignis, ut est vita æterna, reddenda bonis operibus iustorum, quæ proinde simpliciter merces & præmium, & corona justitiæ appellatur; licet secundum quid, ratione primæ gratiæ, quæ est causa ejus remota, etiam ipsa vita æterna gratia nominetur Rom. 6. v. ultimo: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Et propter hoc, ut sup. vidimus supposito 2. electio ad gloriam non est electio meritorum (quævis alioqui meritorum post justificationem proventientium) sed gratiæ; quia omnia merita nostra ratione primæ gratiæ actualis, quam necessariò supponunt, sunt dona gratuita Dei, uti latius intra.

Nunc prosequar discursum Theodori: Secundum quid (inquit) est ex operibus, quod est ex operibus congruis tantum & impetratoriis; unde istud rationem gratiæ simpliciter habet. Admitto igitur, primam gratiam habituales, quatenus ex operibus congruis est, secundum quid non esse gratiam; dico tamen simpliciter esse gratiam; quia non ex operibus condignis; & sic meritò à Paulo dictum est, nos gratis justificari ad Rom. 3. Augmentum tamen gratiæ justificantis rectè docet Trident. sess. 6. cap. 10. & can. 24. & 32. cadere sub meritum simpliciter. Unde quoad moralem æstimationem (quam nunc attendimus) simpliciter non est gratia, sed merces boni operis, licet physicè & quoad entitatem sit ejusdem

T speciei

cap. 4.

28. Concilium in his cap. voluit damnare Pelagium.

Quis sensus huius dicti Apost. Si gratia, jam non ex operibus. Smiling.

Quid sit simpliciter ex operibus.

29. Quid sit ex operibus secundum quid.

speciei & valoris cum prima gratia justificante, cuius augmentum est. Huculque Smil. Cui per omnia consentimus.

30. *Quomodo intelligendū Trid. sess. 6. c. 8.*
 Ex his autem patet, quid respondendum sit ad Concil. Trid. sup. ex adverso adductum; ut putā intelligendum esse de merito condigno, quod solum simpliciter meritum appellatur. Quāvis Aliqui aliter illud exponant, causantes, Concilium per gratiam justificationis intellexisse totam seriem auxiliorum, quibus ad justificationem disponimur à prima vocatione usque ad fidem inclusivē, quam seriem nequidem de congruo meremur. Undē dicunt Apostolum & Concilium excludere dumtaxat meritum formalis justificationis, quod procederet ex solis viribus liberi arbitrii; quale nos non agnoscamus nequidem congruum respectu gratiæ justificantis primæ aut secundæ.

31. *Refellitur à Smiling.*
Probatur, Concil. loqui de formali justificatione.
 Verū hęc expositio optimē refellitur à Theod. sup. n. 372. & sequentibus, ubi ostendit, Concilium fuisse locutum de formali justificatione, ut distinguitur à dispositionibus præviis: ut etiam de fide & operibus, procedentibus ab auxilio gratiæ. Primum probatur: nam d. cap. 8. agit de eadem justificatione, de qua egerat cap. 7. ubi eam expressē distinguit à dispositione, dicens in principio cap. Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur. Et, anabo, quæ ista dispositio? Disponuntur autem (incipit cap. 6.) ad ipsam justitiam, dum excitati divinā gratiā, & adjuti, fidem ex auditu concipientes &c.

32. *Quæ sit dispositio ad eam.*
Concil. can. 4. distinguit inter dispositionē, & gratiam formaliter justificantiē.
 Dispositio, inquam, est fides, spes, dilectio, poenitentia; quam dispositionem can. 3. distinguit ab ipsa justificationis gratia, dicens: Si quis dixerit, sine preveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. Et can. 4. damnat eum, qui dixerit: Liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet. Quomodo elarius posset distinguere inter dispositionem, & gratiam formaliter justificantem? Neque evidentius quid declarare se loqui de fide & operibus procedentibus ab auxilio gratiæ. Quæ autem ratio aliter interpretandi cap. 8. de quo hic movetur quæstio?

33. *Evansio.*
Præcluditur.
 Quia (inquis) cap. 8. distinguit inter justificationem, & gratiam justificationis, ibi: Quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Quæ distinctio nulla esse potest, nisi per hanc intelligat gratiam disponentem ad justificationem, per illam verò gratiam formaliter justificantem. Respondetur: Concilium sic locutum fuisse gratiā solius variationis verborum; non autem ut significaret realem distinctionē. Colligitur ex intento Concilii, quod erat, conciliare Apostolum Jacobum, dicentem cap. 2. v. 17. Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Et v. 24. Videtis quomodo ex operibus

justificatur homo, & non ex fide tantum?

Conciliare, inquam, hæc dicta cum eo, quod dicit Apostolus Paulus Rom. 4. v. 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Ubi videtur negare, hominem justificari ex operibus. Undē cap. 5. v. 1. ait: Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum, soli fidei, ut apparet, & non operibus tributa justificationem. Hinc ejusdem Epist. c. 11. v. 6. inquit: Si autem gratia, jam non ex operibus. Loquitur autem uterque Apostolus de formali justificatione, ut patet. Quapropter Concil. Tridentinum d. sess. can. 9. asserit, nos non soli fide; sed etiam aliis actibus ad justificationis gratiam consequendam cooperari & disponi: Si quis dixerit, solā fide impium justificari, &c. intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum sua voluntatis motu præparari, quæ disponi; anathema sit. Sed nunquid disponitur ad totam seriem auxiliorum gratiæ? Liqueat, quod non. Ergo hæc series per gratiam justificationis ibi non intelligitur; sed tantum formalis justificatio.

Uti etiam can. 17. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari eadem, sed gratiam non accipere, utpote divinā preterite prædestinatis ad malum, anathema sit. Ergo justificationis gratia distinguitur à vocatione, ac proinde non accipitur hic pro tota serie auxiliorum. Denique can. 30. supponit Concilium per justificationis gratiam culpam remitti, & reatum æternæ poenæ deleri: Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ poenæ deleri dixerit &c. Quæ utique remissio soli competit gratiæ formaliter justificanti.

Non inficior, gratiam justificationis quodque accipi pro tota serie dispositionum, ut etiam includat primam vocationem, seu gratiam actualem, ut patet ex Concilio Milano vitano sup. adducto, & etiam ex Aug. Epist. 105. sed dico hoc idē esse, quia Pelagiani & Semipelagiani, contra quos agunt, ita hæc vocem usurpabant. At verò Lutherani, quos Tridentinum eo cap. 8. expugnat, nunquam per gratiam justificationis intellexerant totam seriem auxiliorum gratiæ, sed dumtaxat gratiam remissivam peccatorum, ad quam volebant sufficere solam fidem.

Et vellem videre locum aliquem, in quo vel Jacobus, vel Paulus justificationem attribuerit à gratia justificationis. Aut certe ubi Paulus, vel Concil. Tridentinum excludat à merito justificationis sola opera, facta ex virtutibus naturæ sine auxilio gratiæ. Agit quidem Apostolus primariò de merito liberi arbitrii; autem, secundum communem intellectum Potrum, excludit omne meritum simplicitet. Aliàs Semipelagiani facillè respondissent Augustino, objicienti illum locum, Apostolū solum agere de operibus ceremonialibus veteris legis, non autem de bonis operibus moralibus; cum

de illis principaliter agit contra Judæos; & tamen ipsi Hæretici d. locum generaliter intellexerunt de omnibus operibus bonis; ergo etiam de meritis in gratia fundatis. Unde & Concilium ex illo loco negat fidem, sine qua impossibile est placere Deo, adeoque fidem supernaturalem; negat, inquam, fore eam meritum simpliciter primæ gratiæ justificantis.

Quando ergo Tridentinum impugnat Pelagianum, & ejus reliquias, prout facit cap. 5. item can. 1. 2. & 3. negat omne naturale gratiæ meritum, five condignum, quale videntur posuisse Pelagiani, five congruum, quale Semipelagiani etiam primæ gratiæ auxiliantis, & idè de hac quoque ibi loquitur Concilium. At verò contra Lutheranos cap. 8. & can. 4. 5. 6. & 9. agit de sola gratia formaliter justificante, ejus dispositionem hi asseriebant solam fidem, ut sup. diximus, nihil tribuentes libero arbitrio.

Sed nunquid benè sequitur: Patres distributivè negant meritum primæ gratiæ auxiliantis; ergo & meritum congruè? Inficiatur Smil. sup. n. 378. Ratio est (inquit) quia benè possumus simpliciter, etiam cum distributione, negare aliquid esse tale, licet secundum quid affirmemus esse tale; v.g. negamus ullum Æthiopem esse album simpliciter, & affirmamus omnem Æthiopem esse album secundum quid, quid, id est, secundum dentes: ergo similiter benè possent Patres absque improprietate verborum negare, opera primam gratiam auxiliantem antecedentia esse meritoria simpliciter, & tamen concedere esse meritoria secundum quid; & sic negare, illa esse meritoria de condigno, & tamen concedere, esse meritoria de congruo; quia illud est esse meritum simpliciter, hoc secundum quid. Non ergo ex illo modo loquendi distributivo, sed ex aliis indicis jam allegatis colligitur, Patres etiam meritum congruum primæ gratiæ auxiliantis negasse; qualia indicia non suppetunt, ad colligendum Patres in Trident. cap. illo 8. similiter negasse etiam meritum congruum primæ gratiæ, quæ formaliter justificatur. Sic ergo satis patet mens Conciliorum, ex quibus sumptimus primam probationem nostræ Conclusionis.

Pergo ad secundam, ut putà communem consensum SS. Patrum extra cœterum Conciliorum, qui (ut notat Smil. sup. n. 379.) Conciliorum æquivaleret auctoritati, quantum ad hoc, ut nobis de Ecclesiastica traditione constet; licet non possint Patres suis scriptis de novo infallibiliter res fidei definire, præter Romanos Pontifices, Petri successores, penes quos est, & per se solos veritates fidei definire, & Conciliorum definitiones approbare. Sic ille. Porro inter eos Patres præcipuus hujus veritatis assertor contra Pelagianos, & Semipelagianos fuit S. Aug. in multis voluminum disputationibus, teste B. Prospero in Epist. ad Rufinum cap. 3. ibi: Beatissimus quoque Augustinus præcipua utique in hoc tempore portio Domini Sacerdotum, copiose & pulchre in multis voluminum disputationibus destruxit (versutias Pelagianorum) utpote

Tomus II.

inter multa Dei dona, quibus illum abundantissime spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientia & sapientia ex Dei charitate virtutem, ut non solum illam, adhuc in suis detractionibus palpitantem, sed etiam multas prius hæreses invicto verbi gladio debellaret.

Hæc autem disputationum volumina potissimum habentur in Tomo 7. Operum D. Aug. & sunt de Peccatorum meritis & remiss. libri 3. de Spiritu & lit. lib. unus; de Nat. & grat. lib. unus; atque alii complures, quos ad longum enumerat Smil. sup. num. 381. Satis noti sunt. Tantum annoto; libros de Prædest. SS. & Dono persever. fuisse ultimos, ac proinde perfectissimum opus; & idè ex illis potissimum sumi debere sententiam D. Aug. de gratuito prædestinationis beneficio; quàmvis in illis non sit sibi ipsi quoad ea, quæ alibi scripserat, contrarius, inquit Theod. sup. n. 382. Videatur hic Auctor.

Cæterum D. Augustinum secuti sunt Hilarius, Prosper, & alii ejus discipuli, ac modò omnes Theologi sequuntur, cum scripta ejus contra Pelagianos, & Semipelagianos à multis Pontificibus approbata sint. Sed nunquid idè omnia, quæ in dictis libris habentur sunt, articuli fidei? Ita quidem Calvinistæ aliqui auctoritatem S. Aug. exaggerant, ut quidquid contra Pelagianos traditum ab eo esse constiterit, citra hæresim negari non posse contendunt. Ipse Calvinus in sess. 6. Trident. eam ob causam Patres alios abdicabat, atque ad labefactanda Concilii Trid. decreta satis arbitrabatur esse, S. Augustinum contra Pelagianos pugnantem illis opponere. Catholicis mens longè alia; etiam negent Aug. Calvino favere, nolunt tamen hac lege cum Hæreticis præliari, ut si aliquam ex opinionibus suis auctoritate S. Aug. comprobassent, ea continuò ad fidem catholicam pertinere crederetur. Hinc Claudius Sanctefusus Episcopus Ebroicensis in Atheismis Calv. fol. 199. Malitia Calvini fuit eligere ad fidei articulum consiciendum singularem aliquam opinionem, aut obscurum locum antiqui alicujus Doctoris, ac præcipuè S. Aug. quem communi totius Ecclesiæ Patrumque consensui anteponat: Tum difficilem locum S. Aug. contra Julianum, quo probare conabatur Calvinus Deum esse auctorem peccati, explicat, additque: Etsi Aug. id dixisset, quis sani judicii hominem unum aliis omnibus, & communi Christianorum consensui præferret.

Card. Hosius l. 3. de auct. Scripturæ fatetur: S. Aug. contra Pelagianos scribentem necessariam infantibus Eucharistiam censere; cui tamen opinioni Concil. Trid. anathema dixit sess. 21. can. 4: Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistia communionem, anathema sit. Alias similes sententias observat Pennottus, subditque lib. 5. cap. 15. Hæc autem omnia idè annotavi, non ut doctrina sanctissimi Patris Aug. detraham ullo modo, sed ne quis doctrina S. Aug. adeò studiosus esse velit, ut arbitretur, omnem sententiam ex libris S. Aug. facere auctoritatem insolubilem, tamquam si

T 2

41.
Libri in quibus de prædest. tractat.

Smil.?

42.
An omnia, que scripta de gratia & prædestinatione, sint fidei.

Ita aliqui contendunt etiam Hæretici.

Sanctefusus id tribuit Calvino.

43.
Hosius adfert ex Aug. quod apparet contra Trident.

Similiter Pennot.

esset

Alphonfus
à Castro.

44.
S. Aug. folio
canonicis li-
bris infalli-
bilem au-
thoritatem
tribuit.

In aliorum
scriptis dicit
aliquando
dicendum im-
probare &
respuere.

45.
Synodus
quinta non
canonizavit
Aug. libros.

46.

esset excerpta ex libris. Scriptura: quia nimia est re-
ligiositas contra divinam scripturam, cuius solus est
facere auctoritatem irrefragabilem iuxta illud D. Pau-
li ad Rom. 3. Est autem Deus verax, omnis au-
tem homo mendax, sicut scriptum est: ut iusti-
ficeris in sermonibus tuis, & vincas cum judi-
caris. Pluribus id ipsum evincit Alphonfus à
Castro lib. 1. contra hæreses cap. 7. usurpans
ea verba S. Augusti. quibus ita lectorem su-
um affatur: Noli meis litteris, quasi scripturis cano-
nicis inservire; similia habent Bellarm. & Ektius
apud Hærinx proleg. de gratia §. 4. n. 27.

Ipsæ Aug. de seipso audiat epist. 19. ad S.
Hier: solis eis scripturarum libris, qui jam canonice
appellantur, didici hunc timorem honoremque defer-
re, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid er-
rasse firmissime credam &c. Alios autem ita lego, ut
quantalibet sanctitate doctrinæque præpollent, non
ideo verum putè quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi
vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione,
quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt: nec
se, mi frater, sentire aliud existimo: proisus, inquam,
non te arbitror, sic legi tuos libros velle tanquam
Prophetarum, vel Apostolorum: de quorum scriptis,
quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Ex
pluribus interjectis: Quamquam tantummodò Scri-
pturis canonicis hanc ingenuam debeam servitutem,
quæ eas solas ita sequar, ut Conscriptores earum nihil
in eis omnino errasse, nihil fallaciter posuisse non du-
bitem. Ecclib. 11. cont. Faustum cap. 5. Non e-
nim quorumlibet disputationes, quantumvis catholi-
corum & laudatorum hominum, velut Scripturas
canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ
honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in
eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte inve-
nerimus, quod aliter senserint, quam veritas habeat,
divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis
salis ego sum in scriptis aliorum; quales esse volo in-
tellectores meorum. Ergo in S. Aug. secundum se
considerato nihil est, quod ei tantam auctori-
tatem, quam aliqui ipsi attribuant, conciliare jure
possit. Videndum restat an ex Ecclesiæ approba-
tione illi accesserit.

Synodus Constantinopolitana coll. 3. eum
dixisset, se suscipere Omnia consonantia his, quæ à
memoratis sanctis quatuor Conciliis pro recta fide de-
finita sunt, addit: Super hæc sequimur per omnia &
sanctos Patres & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hi-
larium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium
Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Io-
annem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Pro-
culum, & suscipimus omnia, quæ de recta fide, &
condemnatione Hæreticorum exposuerunt. Suscipi-
mus & alios sanctos Patres, qui in sancta Dei Eccle-
sia rectam fidem irreprehensibiliter usque ad finem
sue vitæ prædicaverunt, id est, qui semper in Ec-
clesiæ communionem fuerunt, & quos nunquam
sibi stræ rumor suspitionis aspersit, quæ suspi-
cio ab Apostolicæ sedis communionem divellere
eos potuerit: & tamen aliqua repertiuntur in eo-
rum libris, quæ jure merito postea reprehensa
sunt & improbata.

Romanum verò Concilium sub Gelasio Pa-
pa, postquam priores quatuor Synodos amplecti

se & approbare affirmavit, subjicit: sed & si qua
sunt Concilia à sanctis Patribus hætenus infirmata,
post horum auctoritatem & custodienda & recipienda
decernimus & mandamus. Item opuscula B. Cypriani
Martyris & Carthaginensis Episcopi. Item opuscula
B. Gregorii Nazianzeni Episcopi. Item opuscula B.
Basilii Cappadocæ Episcopi. Item opuscula B. Atha-
nasti Alexandrini Episcopi. Item opuscula B. Iovani
Constantinopolitani Episcopi. Item opuscula B. Theo-
phili Alexandrini Episcopi. Item opuscula B. Hilarii
Pictaviensis Episcopi. Item opuscula B. Ambrosii Me-
diolanensis Episcopi. Item opuscula B. Aug. Hippo-
nensis Episcopi. Item opuscula B. Hieronymi &c. Hic
S. Aug. cum aliis tantum promissæ Doctri-
nae appellatur, nec aliter ejus opera compro-
bantur quam Græcorum Patrum, quos aliqui
accusant Semipelagianæ hæresis: quam Cypri-
ani & Hilarii, quorum alter circa Baptismum
Hæreticorum, alter circa Christi passionem do-
loris expertem erravit: quàm aliorum denique
Patrum, quos nonnumquam esse lapsos no-
tum est.

Hinc Tostatus defens. p. 2. c. 81. ad istam
objectionem. Ecclesia approbavit libros S. Aug. etc.
necesse est eis fidem addibere, ita respondet: Ipsi
B. Aug. sunt approbati per Ecclesiam, sicut libri ma-
jorum aliorum, quos Gelasius Papa confirmavit. Et
tamen ob hoc non sequitur, quod, quicquid Aug. etc.
dixerit, tenendum sit tanquam verum necessarium
hoc, quod Aug. dixerit. Non enim sciunt isti argu-
entes, quid sit approbatio Ecclesiæ, quantum ad al-
quos libros, nec quid efficiat, aut quantum conferat:
si enim approbatio Ecclesiæ hoc sonaret, quod definitio
ejus, scilicet quod, quando approbat libros auctoris, ita
haberentur contenta in illis libris, ac si omnia & sin-
gula essent ab Ecclesiâ determinata, jam tanta es-
set auctoritas librorum approbatorum, sicut auctoritas
cri Canonis Biblie. Ubi præcipue illud urget,
quod lequeretur Ecclesiam pro eodem tempo-
re asserere contradictoria esse vera. Quia Philo-
sophia, inquit, approbavit omnia opera D. Aug. & Hi-
larion. & tamen isti duo contradicunt sibi interdum
rectè & formaliter in multis locis. Patet hoc 1. quan-
tum ad fidem 70. Interpretum &c. discordant enim
super observationibus legalibus. Aliud addit, quod
hic prius singula librorum illorum verba à Con-
cilio P. P. dilecti & expendi deberent, atque
modo non fuisset facta approbatio unius de libris
in 200 annis, etiam Ecclesiâ semper actu congregat.
Per approbationem ergo Ecclesiæ 1. ut notat
ibid. Tostatus, conceditur Expressè omnibus Chri-
sti fidelibus, quod legant eos libros. 2. Indicat Ec-
clesia illa opuscula esse utilia ad doctrinam salu-
morum, & ob hoc laudat ea. 3. & præcipue Ec-
clesia tollit opusculis approbatis suspensionem de hæ-
resi voluntaria, quæ est verè hæresis: nam illa opera,
quæ approbantur, licet non sint omnino discepta ab
Ecclesiâ, sicut si deberent singula partes approbare, ta-
men quandoque generali discussione cognoscuntur,
& apparet ex eis, quomodo auctor eorum in omni-
bus catholicè sentiat, nolens dogmatizare expresse
& scienter aliquem errorem &c. & illa sunt causæ
potissima, quare Ecclesia approbavit quorundam
D. D. opera. 4. Dat eis quandam auctoritatem, quam

aliam non habebant, in eo positam, quod quando aliquis allegaverit dictum alienius libri approbati per Ecclesiam, facit probationem, etiam si ipse Auctor nullo casum dicti sui offendat.

Quod Pontifices, Coelestinus Papa in epist. ad Episcopos Galliarum cap. 2. ita loquitur de S. Aug. Augustinum S. recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habitum, nec unquam hunc sinistra suspitionis saltem rumor aspersit, quem tanta scientia olim fuisse meminit, ut inter magistros optimos etiam a meis semper Prædecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communione senserunt, utpote qui ubique cunctis et amari fuerit et honori. Sed nota idem dici posse de omnibus illis Patribus, quos commemorat Synodus 5. supra citata. Minus faver Aug. Honoratissimus Pontifex in epist. ad Possessorem inquit: De arbitrio autem libero & gratia Dei, quod Romana, hoc est Apostolica sequatur & asseveret Ecclesia, licet in variis libris S. Aug. & maxime ad Hilarium & Prosperum possit agnoscitur: tamen in scriptis Ecclesiasticis expressa capitula continentur, quæ, si desunt, & necessaria creditis, destinabimus. Quis enim negat in S. Aug. illa expressa capitula, quæ Coelestinus suæ epistolæ intexuit verum negamus aliud nihil in eis libris reperiri.

Quod attinet Elogium Joannis 11. in epist. ad quosdam Senatores. S. Aug. ejus doctrinam secundam Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur & servat Ecclesia. Notandum in ea epistola non agi de Pelagianis, sed potius de Nestorianis, contra quos confirmat doctrinam catholicam de Christi divinitate & incarnatione non ex libris S. Aug. contra Pelagianos scriptis, sed ex libro undecimo de Civit. ut verbis citatis subiungit: in libro, inquit, 11. De Civit. Dei sic dicit (Aug.) credimus & tenemus, & fideliter predicamus, quod Pater genuerit verbum &c. Subiungit quoque alia testimonia ex lib. 2. contra Maximinum, & 15. de Trinit. Jam autem certum est doctrinam illorum librorum non aliter ab Ecclesia approbari, quam opuscula aliorum PP. Quod si aliquis velit Joannem loqui de doctrina Aug. contra Pelagianos, ut ita probet etiam in aliis questionibus magnam esse Aug. tribuendam auctoritatem, dico de iis tantum Aug. doctrinæ contra Pelagianos capitibus istud dici, quæ speciatim Romana comprobavit Ecclesia. Neque enim aliud decernunt Summi Pontifices, quorum hic statuta Joannes appellat.

Quæret aliquis, eequæ ista pars doctrinæ S. Aug. quam Ecclesia comprobavit? Eam invenies in epistola Coelestini Papæ ad quosdam Galliarum Episcopos pro Prospero & Hilario, à c. 4. contentam 9. aut 10. capitibus, quæ ab Apostolica Sede recipi dicit. 1. In pravariatione ad omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruina per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis crexerit. 2. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. 3. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superan-

das diaboli insidias & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiâ bona conversationis acceperit. 4. Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio. 5. Quod omnia studia & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit. 6. Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bona voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil boni possumus. 7. Anathematizandum esse eum, qui dixerit: gratiam Dei, quæ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur. 8. Anathematizandum eum, qui dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum; quia per ipsum nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, aut quid vitare debeamus; non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus atque valeamus. 9. Anathematizandum eum, qui dixerit: ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam: tanquam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possumus etiam sine illa divina implere mandata. Hæc ex S. Aug. sententiis Innocentii & Zozimi auctoritate firmatis. Subdit Coelestinus: His ergo ecclesiasticis regulis, & ex divina sumptis auctoritate documentis ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omnium virtutum, quibus ad initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteantur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita proveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere.

De reliqua parte doctrinæ (teste Smil. sup. n. 384.) quam de gratia & prædestinatione Aug. & alii occasione veritatis fidei tradiderat, ita subiungit: Profundiores verò, difficilioreque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui Hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere. Quia ad conficiendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

Quamvis ergo non omnia sint fidei, quæ Augustinus de gratia & prædestinatione scripsit, attamen, ut recte notat Theod. sup. etiam in illis incurrentibus questionibus decidendis Augustini auctoritas, nisi evidens ratio, vel Ecclesiæ definitio obstat, aliorum Doctorum auctoritati est præferenda, & Theologicam facit certitudinem vel probabilitatem, juxta quod certo vel probabiliter constat de mente Augustini: hoc enim saltem (inquit ille) convincit reverentia, quam doctrinæ D. Aug. de Gratia detulerunt omnes post ipsum Catholici Do-

T 3

ctores;

51.
Coelestinus
Papa.52.
Sunt tamen
maxime
auctorita-
tis.
Smiling.

dores; aliqua horum elogia adjungamus.

53. S. Hieronymus in epistola ad S. Aug. quæ est 25. inter Aug. epistolas ait: Omni quidem tempore Beatitudinem tuam eo quo decet honore, veneratus sum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem. Sed nunc si fieri potest, cumulo aliquid addimus, & plena complemur. . . . Maie virtute, in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur atque suspiciunt: & quod

Aliud S. Paulini.

signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur. Illustrius eum commendat in Catal. Scrip. Eccl. inquit: Augustinus Episcopus volans per montium cacumina quasi aquila, & ea, qua in radicibus montium sunt, non considerans. Paulinus Nolanus Episcopus Epist. 31. apud Aug. inquit: Litteras tuas . . . quas & de scholasticis facultatibus affluentes, & de celestibus saporibus dulces, ut anima mea medicas & altrices in quinque libris (contra Manichæos scriptis) teneo, quos . . . non pro nostra instructione tantum, sed etiam pro Ecclesiæ multarum urbium utilitate suscepimus. . . . O verè sal terra, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vaneferre errore, conduntur. O lucerna dignè super candelabrum Ecclesiæ posita, qua latè Catholicis urbibus de septiformi ligno pastum oleo latius lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas. . . . O enim tuum fistulam aqua viva & venam fontis æterni meritò dixerim. S. Prop. Epist. ad Ruff. appellat illum: Præcipuum portionem Domini sacerdotum, & præstantissimum ministrum gratia. In Carm. Africani Concilii ingenium, lumen avi sui, sanctum sapientia templum. Et l. 3. de Vit. Contemp. c. 31. inquit: S. Augustinus Episcopus acer ingenio, suavis eloquio, secularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione sua fidei nostra Catholicus, in questionibus absolventis acutus, in revincendis hæreticis circumspiciendus, & in explicandis Scripturis Canonici cæcatus. Hi Augustino contemporanei quinto sæculo.

54. S. Fulgent.

Consistor.

Sub sexto S. Fulgent. l. 2. de Verit. Prædest. c. 18. de S. Aug. libris pronuntiat: Hos legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat. Caliodorus l. de di. Lecl. c. 22. Ipse etiam Doctor eximius beatissimus Augustinus, bellator hæreticorum, defensor fidelium, & sanctorum palma certaminum: in quibusdam libris nimia difficultate reconditis, in quibusdam sic est planissimus, ut etiam parvulis probetur acceptus: cujus opera suavia sunt, obscura verò magnis utilitatibus farcita pinguescunt. Et in prologo super Psalt. Augustinus literarum omnium egregius Magister: & quod in ubertate rarum est, cautiſſimus disputator. Decurrit quippe tanquam fons purissimus, nulla fæce pollutus. Sed in integritate fidei perseverans, nescit hæreticis locum dare, unde sese possint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus Orthodoxus invenitur, & in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiat.

55.

Septimo sæculo Greg. Magnus l. 8. Regist. c. 37. ad Innoc. Episcopum ita scribit: Si deli-

cioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini epistolam legite, & ad comparationem fliginis illius, nostram fursurem non queratis. Concilium quoque Tolet. 8. inquit: Vir quoque sanctissimus Augustinus investigationis acumine cautus, inveniendi arte praeceps, asserendi copiâ profluus, eloquentia sine rivus, sapientia fructu fecundus. Et Ildephonus Tolet. Hom. 2. de B. Virg. Audiant Augustinus, cui contradicere fas non est. Decoravit octavum sæculum Ven. Beda, qui Tom. 2. l. de lex. Eccl. sic loquitur: B. Augustinus Hipponensis Episcopus omnium Doctor eximius Ecclesiarum. Et Tom. 1. de Taber. & vasis: Augustinus omnia, qua fides turbare poterant, hæreticorum venena vacuas. Paulinus Aquileiensis l. 7. Contr. Fel. S. Augustinus ubique purissimus in Catholica fide, & veratissimus Doctor esse comprobatur. Et Jonas Aurel. l. 6. de cultu Imag. erga Claudium Taurin. hæreticam, & Esi ceteros Patres excepisti, B. Augustinum, quem constat inter omnes Latinos Doctores disertissimum extitisse Doctorem, sanctæque Ecclesiæ Dei fortissimum defensorem & propugnatorem excipere non debemus. Is enim, est non solus, divina sibi suffragante gratia, aliis sacundis copiosisque diversarum hæresium, & scismaticorum perversa statuta rationabiliter revertit, destruxit atque prostravit.

Sub nono Hincmarus Remensis Archiep. de Prædest. c. 1. vocat Aug. Doctorem mirificum, & plures ejus laudes enumerat. Amolo Lugdun. Archiep. Opus. 2. de Grat. & præscientia ait: D. Augustinus post Apostolum præcipuus prædestinationis & gratia prædicator. Et Lupus Servatus l. 1. de lib. Arb. Ipse autem Augustinus, quem nescias utram rerum inventionem magis, ascendendi felicitate mireris, de libero arbitrio & gratia Dei tanta disseruit, ut vix possint ab aliquo legi. Omnia verò, ut mea fert opinio, quamquam hæc clarissima & utilissima, à nemine memoria contineri. Quid enim sentiendum sit de libero arbitrio & gratia Dei, sicut nemo tam laboriosa indagine investigavit, nemo ut ille tam diu versavit; ita ut paucorum dixerim: nullus utrumque tanta veritatis proprietate invenit, nullus tanta eloquentia ubertate asseruit, nullus inexpugnabilem argumentorum præcipuam tantâ defendit. Transio Remigium Antistidior. sub decimo sæculo & alios: Petrum Damianum, Rupertum &c. sub undecimo: Hugonem Victorinum, Petrum Cluniac. &c. sub duodecimo: Vincentium Belloc. S. Thomam &c. sub decimo tertio: Vincentium Ferrarium, S. Antoninum, Bessarionem, Dionysium, Carthus. Hieronymum Torrentsem, & alios lib. sequentibus sæculis: & ad magni Doctoris doctrinam revertor. Cùmque Augustini scripta plena sint testimoniis pro necessitate gratiæ, libenter ea pertranseo, contentus unico ex lib. 1. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. c. 19.

Ibi explicans ea verba Christi Joan. 6. v. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, inquit: Non ait, duxerit, ut alius aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi qui velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non

ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant; sed ut volentes ex nolentibus fiant. Volentes, inquam, libere libertate indifferentiæ: etenim lib. 1. Retract. c. 22. sic ait: Nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse possumus, alio loco Dominus docet (Matth. 12.) ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe dominis est, in melius mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de qua dicitur Jo. 1. v. 12.) Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quid cum (id est, si aut quia) volumus facimus (& cum non volumus, non facimus) nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino (scilicet per internum gratiæ auxilium) Eo modo ergo dat potestatem.

Eo modo attrahit Pater ad Filium homines, & ex nolentibus facit volentes; sic tamen, ut dimittat eos in libero arbitrio, teste Augustino lib. 2. contra Lit. Peril. c. 84. ibi: Si tibi proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Eandem intelligendi difficultatem asserit S. Aug. l. 2. de Pecc. Mer. c. 18. Ipsa etiam ratio, qua de his rebus (gratiâ videlicet & libero arbitrio) à talibus, quales sumus, initi potest, quemlibet nostrum querentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur: nusquam ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superbia impietate ingrati Dei gratia videamur.

Idem dicit l. 4. Cont. Jul. c. 8. Ista questio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. Et de Prædest. SS. c. 14. de Catholicis tractantibus ante exortam hæc pelagianam ait: Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari. Fuit igitur difficilis intellectu, non solum Pelagianis, sed & Catholicis Tractantibus ante S. Aug. & ipsi Aug. & omnibus, qui de liberi arbitrii natura, & efficaci gratia Dei Catholicè sentiunt.

Imò difficillimam dicit S. Aug. questionem hanc Epist. 47. De qua difficillima questione, hoc est de voluntate & gratia non opus habui etiam in hac Epistola diutius disputare. Tantummodo maneat, ut in fide sana Catholica perseverent, qua neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, siue in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid... vos quoque charissimi etiam in hac Epistola exhortor, quod nos omnes exhortatur Apostolus: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus paratus est mensuram fidei. Ecce credendam monet concordiam gratiæ cum libero arbitrio: nam,

ut subiungit, si non esset liberum arbitrium, non diceretur (Prov. 4. v. 26.) rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige (vulgata legit: dirige semitam pedibus tuis, & omnes viae tuae stabiliuntur) subdit: Ne declines in dexteram neque in sinistram. Et tamen sine Dei gratia si posset hoc fieri, non posset diceretur (v. 27.) Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera (vulgata legit: itinera autem) tua in pace producet. Et concludit: Non declinetis in dexteram, neque in sinistram. Hoc est: non sic defendatur liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuantur: nec sic defendatur gratia, ut quasi de illa securi mala opera diligatis, quod ipsa Dei gratia avertat à vobis. Ita se submittit questionem huic difficulti, imò difficillimæ aquilinum Augustini ingenium. Mirum si per novas hypothèses, concursus aut instantia evidentiam huic difficillimæ questioni & concordie aliquis conciliaret. Certè is non sicut aquila, sed super Aquilam Augustinum volaret. Donec id appareat, maneat quod dicit S. Aug. Epist. 46. de quodam in Valentini contubernio: Non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur, quando difficillimam questionem & paucis intelligibilem solvere atque enodare conatur. Et quomodo paucis, si cum gratia maneat sola libertas à coactione? Num pauci penetrare valent, Beatos Angelos & homines voluntariè, id est, non coactè Deum amare? Vel si multi hoc valent intellectu penetrare, cur non etiam, quomodo Pater attrahat ad filium homines, quos dimittit in libero arbitrio, id est, quos non cogit, sed tamen necessitat? Tu cogita. Ego Ruari Tapperi sententiæ Art. 7. subscribo, qui dicit: Nullam hæc questio de gratia & libero arbitrio, quam difficillimam dicit B. Aug. haberet difficultatem, si libertas intelligeretur coactionem excludere solum & non necessitatem.

Etiâ scriptum scio Ecclesiastici 15. v. 18 & 19. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Ecce apertissimè videmus (teste S. Aug. lib. de Grat. & Libe. Arbitr. c. 2.) expressum liberum humane voluntatis arbitrium. Sed & gratia Dei non tacetur. Enimverò cavendum est, ne divina testimonia, & quæcumque alia, Quæ (juxta Aug. mox citatum c. 4.) sine dubitatione sunt plurima in defensione liberi arbitrii, sic intelligantur, ut ad vitam piam, & bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratia Dei locus non relinquatur. Nam & plurima sine dubitatione sunt divina testimonia in defensione gratiæ divinæ, ejusque necessitatis ad opus prædestinationis. Præcipuè notandum, quod ait Apostolus 1. Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernis? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Ad quæ verba D. Augustinus de Prædest. SS. cap. 5. In hac (inquit) Apostoli evidentiissima intentione, quæ contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur; dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam,

60.
Probatur li-
bertas ex
Scriptis.

Declaratur
necessitas
gratiæ ex
Apost. 1.
Cor. 4.

per-

perfectamque naturam, qualis in prima conditione data est, sive vitata natura qualescumque reliquias, nimis, quantum existimo; absurdum est. Hic autem prius dixit: Quis enim te discernit? Et deinde addidit: Quid autem habes, quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus adversus alterum: discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui se discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? Ita August.

61. Neque hoc tantum (auditis Christoff. Homil. Item ex D. 12. in 1. Epist. ad Cor.) aut illud accepisti, sed Chrysost.

quidquid habes; non enim merita tua hac sunt, sed Dei gratia. Et idem S. Pater Homil. 12. in Epist. ad Hebr. sive (inquit) currens, sive satagens, non puta tuum esse effectum; si enim desper non adveniat adjumentum, omnia in vanum erunt. Si quidem (ut bene ad propositum nostrum advertit D. Bernardus lib. de Grat. & libe. arbit.) Conatus liberi arbitrii ad bonum & casti sunt, si a gratia non adjuvantur, & nulli, si non excitentur. Et tamen, ut appositè D. Christoff. lup. Quidquid adeptus fueris eorum, ad quæ festinas, manifestum, quia currendo & volendo adipisceris; non solus tu, sed gratia Dei tecum. Nam, ut Apostolus 1. Cor. 15. v. 10. de seipso testatur: Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis laboravi (currendo utique & volendo) non ego autem (solus) sed gratia Dei mecum.

62. Alius locus Apostoli, in quo manifestissime prædicat gratuitam prædestinationem, de qua hic tractamus, sumitur ex Epist. ad Rom. cap. 9. v. 11. & seqq. Cum (inquit) nondum nati fuisset (Jacob & Esau) aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus sed ex vocante dictum est ei (Rebecca) Quia major serviet minori (Gen. 28. v. 23.) sicut scriptum est (Malach. 1. v. 2. & 3.) Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus: nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit (Exod. 33. v. 19.) Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed misereoris est Dei. Dicit enim Scriptura (Exod. 9. v. 16.) Pharaonit: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam; & ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cuius vult misereor, & quem vult inducat. Dicit itaque mihi: Quid adhuc quaritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O homo tu quis es, qui respondes Deo? Nunquid dicit signum tuum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Hucusque D. Paulus.

63. Et quomodo illustrius posset electionem, & consecutionem misericordiae referre in beneplacitum liberale Dei? Unde & Psal. 17. v. 20. ait David: Salvum me fecit, quoniam voluit me. Et Christus Joan. 15. v. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis & fructum adferatis, & fructus vestri maneat. Consonat Apostolus ad Ephes. 1. v. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut

essemus sancti. Non (prout ponderat D. Aug. de prædest. S. S. c. 18.) quia futurieramus. Et eodem lib. c. 17. sic ait: Nam quid est, quod ait apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profecto si propterea dictum est, quia præcivit Deus credituros, non quia factus esset ipse credentes: contra ipsam præsentiam loquatur, sicut dicens: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potius præcivisset Deus, quod ipsi fuerant electuri, ut ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem & prædestinationem, in qua Deus sua futura facta præcivit, electi sunt autem de mundo ea vocatione, quæ Deum id, quod prædestinavit, implevit.

Hinc Apostolus 1. Cor. 7. v. 25. Constitui (inquit) do tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis; non quia jam erat fidelis. Et 1. ad Thel. v. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Quomodo autem in laudem gloriæ gratiæ suæ, si homo primam gratiam propriis viribus mereatur? Debuisset potius dicere, in laudem gloriæ meritum nostrorum. Nota etiam, quod ibidem scribit Apostolus v. 11. In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Ubi significat, electionem ex parte nostra instar fortis fuisse sortitum & casualem; quia nullam habuit in nobis rationem: ex parte Dei verò factum fuisse ex certa intentione, & determinato proposito. Merito ergo dixit Discipulus, qui supra pectus Jesu reprobuit in ultima cena, 1. Epist. c. 4. v. 10. 16. et 17. hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum unigenitum pro peccatis. Plures Scripturæ ad idem propositum possent adduci, sed hæc sufficient in re, ab Ecclesia toties definita, & a S. S. Patribus tam manifestè tradita. Si autem à me queritur, num etiam ex ratione Conclusio nostra possit probari? Respondeo citius, duplicem ab Augustino offerri cap. 12. de Prædest. S. S. quod sic incipit: Sed omnis hæc ratio, quæ defensionem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum verè esse gratiam, id est, non secundum merita nostra dari, quamvis evidentiè divinorum eloquentium testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent, ut retribuantur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant; laborat ut aliquando in aetate majorum, jam intentum voluntatis arbitrio: sed ubi venit ad parvulos, & ad ipsos Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei hominum a fertio meritum; quia nec illi ulli boni præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum, nec ille ullis humanis præcedentibus meritis, cum & ipse sit bonus, liberator factus est hominum.

Cui igitur parvulorum prædestinatio fuit gratuita, id est, facta sine ullis meritis, etiam congruis; sic indidem exterorum; quia nulla est assignabilis sufficiens disparitas; & incongrua venientia; quæ, secundum Aliquos, sequuntur ei

ex prædestinatione gratuita hominis adulti, sequuntur itidem ex prædestinatione gratuita parvuli. Planè, inquis, & idè Semipelagiani etiam hanc negant. Scio; sed attende quid dicat D. Aug. sup. Quis audiat (quali dicat, non est dignum auditu) quod dicuntur parvuli pro suis futuris meritis in ipsa infanti atate baptizati exire de hac vita; & idè alii non baptizati in eadem atate mori, quia & ipsorum præstita sunt merita futura, sed mala; non eorum vitam bonam, vel malam, Deo remanente, vel damnante? Rogas: quare id non sit dignum auditu? Respondet continuò S. Doctor: sed nullum Apostolum quidem limitem fuit, quem transgredi non debeat hominis, ut mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim (Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 5. v. 10.) Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Gessit, inquit, non adjunxit, vel gesturus fuit. Sed unde hoc talibus viris in mentem venerit, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum. Et post pauca: Quid est ergo? Secundum ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut per corpus intelligamus corporis tempus?

Ergo secundum D. Aug. & fidem Catholicam parvuli non præmiantur, aut damnantur propter bona vel mala opera, quæ fecissent, si supervivissent. Propter quid ergo? Accipe verba D. Aug. ibidem: Ad quod tempus corporis pertinet etiam, quod Pelagianus negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum: quo sive soluto per Dei gratiam, sive per Dei iudicium non soluto, cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transiunt ex malis ad bona, aut merito originis transiunt ex malis ad mala. Hoc Catholicæ fides novit. Sic ille. Vide etiam, quæ contra hunc errorem scribit cap. 13. & 14. ejusdem libri. Item lib. de Dono Persever. c. 9. & 10. Præterea Epist. 105. ac 106. Nimis longum esset omnia hic describere. Tantum refero, quod habet Epist. 106. ubi ex eo, quod ait Dominus Luc. 19. v. 10. Venit filius hominis querere & saluum facere, quod perierat, sic argumentatur: Non ait: quod perierat fuerat, sed, quod perierat: quid ostendens, nisi peccato primi hominis universi generis humani periisse naturam? Intellige naturam periisse accidentaliter tantum, non substantialiter, sicut libertas perit accidentaliter tantum, quoad unitatem nempe, integritatem & innocentiam; non substantialiter, ita explicat Concil. Triad. Sess. 6. de Justif. c. 1. dicens: Oportere, ut unusquisque agnoscat & fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent facti immundi, & ut Apostolus inquit, naturâ filii in eam quædammodum in Decreto de peccato originali (Can. 1. sequentis tenoris: Si quis non confiteretur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisit, incurrere per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque idè mortem; quam illi antea comminatus fuerat Deus, & cum

morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli; totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit) S. Synodus exposuit, usque adeò servi erant peccati, & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed ne Iudæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari aut surgere possent; tamen in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.

Hoc sensu intellige S. Aug. supra contra Pelagianos adstruentem infirmitatem naturæ sibi relicte tanquam rem certam, & immediatè subjungentem: Qui ergo aliter docet, & non acquiescens ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ contra gratiam Salvatoris & contra sanguinem Redemptoris, tanquam salvam & liberam naturam defendit humanam, & Christiano tamen censi vocabulo affectat, quid de parvulorum discretionem dicturus est? Idem clariùs adhuc Enchir. c. 30. Hæc pars generis humani, cui liberationem Deus, regnumque promissit æternum, numquid meritis operum suorum reparari potest? Absit: quid enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit: nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum . . . cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium, sanum nempe & expeditum ad bonè operandum: A quo enim quis devictus est, huic & servus additus est . . . qualis quæso potest servi additi esse libertas, nisi quando eum peccare deleat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Undè ad justè faciendum liber non eris, nisi à peccato liberatus esse justitia cœperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti latitiam, simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad bonè faciendum, unde erit homini additæ & venditæ, nisi redimat ille, cujus illa vox est: si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Perit igitur solùm libertas & natura ad bonè & meritorie agendum prompta & expedita, quæ debuit per gratiam Christi prævenientem & adjuvantem expedita fieri. Si gratiam hanc expeditionem præbentem essentia libertatis ad bonè operandum constitutivam dixeris, dic & vigiliam esse ejusdem essentia constitutivam. Si ita perit natura, quomodo propriis viribus seipsam excolet? Facultatem habet (inquit S. Aug. lib. 3. de Libero Arbitr. c. 20.) ut adjuvante Creatore (per auxilium gratia internæ) seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & cœpere virtutes, per quas & à difficultate cruciantur, & ab ignorantia ea cante liberetur.

Adjuvante, inquam, Creatore, non propriis viribus. Siquidem (teste Concil. Araul. 2. c. 25.) Hoc Deo propitiante & predicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & astenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina

67. Sed infirmitas & inclinata infirmitas. S. Aug.

Hæc viribus nature nequit superari.

Sed solâ Dei gratia.

68. Sine gratia Dei homo nihil boni salutis potest facere. Concil. Araul.

S. Aug.

divina praverit. Unde veritas ipsa dicit Joan. 8. v. 36. Si vos Filii liberaveris, verè liberi eritis. Id ipsum est autem (ut verbis D. Aug. lib. 14. de Civit. cap. 11.) ac si diceret: Si vos Filii salvos fecerit, tunc verè salvi eritis. Inde quippe liberator, unde salvator. Et paulò superius ait: Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitis peccatisque non servit. Tale datum est à Deo, quod amissam proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Et, amabo, per quid redditur? Respondetur ex D. Aug. de Spir. & Lit. c. 30. Per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, expedita ad bonum.

69.

Parvuli non sanantur, nisi per gratiam, quam accipiunt ex liberalitate Dei.

Parvuli in utero materno non habent usum rationis.

70.

Lutia Iacobi & Esau in ventre matris solium fuit prodigium.

S. Aug.

Colligitur ex eadem Historia.

71.

Ioannes ex speciali privilegio habuit usum rationis in utero matris.

Prædestinatio Christi fuit gratuita.

Quantum ad lucem in ventre matris, Aug. Epist. 106. ante medium sic ait: ad hoc nos dicimus, idem motus illos, & tanquam litigium parvulorum signum rerum fuisse magnarum, quia non fuit arbitrium, sed prodigium. Neque enim daturi sumus & asinis liberum arbitrium voluntatis, quoniam huius generis jumentum, sicut scriptum est (Num. 22.) & subjugale sine voce, hominis voce respondens, retuit propheta dementiam. Solium porro fuisse prodigium, colligitur ex eadem Historia; nam Rebecca perterrita, cum de hac re Dominum consulisset, responsum accepit (Gen. 25. v. 23.) Dux Genes sunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividuntur, populusque populum superabit, & major serviet minori. Unde hoc dumtaxat mysterium in eadem lucta agnovit Paulus ad Rom. 9. citans illud: Major serviet minori, & ex Malach. 1. cap. addens illud: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Quod ergo (concludit Smil. sup. n. 405. in fine) parvuli ordinariè in materno utero rationis usum habeant, & per illum mereantur vel demereantur suam electionem, & absque fundamento, & contra Scripturam excogitatum est: tametsi Ioannes ex peculiari privilegio rationis usum in matris utero habuerit, per quem tamen suam electionem non meruit, cum quidam suæ electionis fuerit effectus. Sic ille. Reddè igitur Aug. ut sup. vidimus, gratuitam prædestinationem probat exemplo parvulorum. Nunquid etiam exemplo Christi? Noli dubitare. Enimverò prædestinationem Christi fuisse gratuitam, apertissimè docet de Prædest. SS. cap. 15. quod sic incipit: Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ (id est,

prædestinationis gratiæ) ipse salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: qui et hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illa est, comparavit? Ac si diceret, non.

Sed quæ probatio? Quia non prius exiit. Nonne (interrogat D. Aug.) faciente ac suscipiente Verbo (naturam humanam) ipse homo, ex quo deus esse cepit, Filius Dei unicus esse cepit? Ergo, licet cunctum D. Aug. non prius ipse homo leti natura humana exiit, quàm fuerit unicus Filius Dei. Quomodo ergo potuit mereri filiationem Dei? Nonne (auditis rursum Aug. sup.) Filium Dei unicum semina illa, gratiæ plena concepit? Nonne de Spiritu sancto, & Virgine Maria Dei filius unicus natus est, non carnis cupiditate, sed singulari Dei munere? Nunquid metuendum fuit, ne, accedente etate, homo ille libero peccaret arbitrio? An idem in illo non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quandò magis peccato servire non poterat? Simile ista omnia singulariter admiranda, & alia, si quis ejus propria verissime dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est, nostra natura, nulli suæ præcedentibus meritis.

Item docet lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. dicens: Deus ergo naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis iustitiis suæ præcedentibus meritis Filius Dei sic esset ab initio, quo esse homo cepisset, ut ipse & Verbum, quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tantæ rei dignus, & solus cæcus est ignorantia, ut audeat dicere, quantum de Spiritu sancto, & Virgine Maria Filium hominis naturam, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, ut ipse Dei Filius, resisteret Evangelio (Joan. 1. v. 24.) atque dicente: Verbum caro factum est. Nam ad hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Vide etiam cap. 24. de dono Persever. & eandem ibi repetit doctrinam.

Igitur ex prædestinatione Christi tale concluditur argumentum: Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis; quia docet Scriptura, Christum esse Caput, & nos membra ejus, ad Ephes. 1. v. 22. & seq. Et omnia subieci sub pedibus ejus, & ipsum dedit Caput supra nos, nem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. Item cap. 4. v. 15. & seq. Veritatem autem facientes in illa caritate, crescimus in illo per omnia, qui est Caput, Jesus Christus; ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram cuiusque membri, augmentum corporis facit in adificationem suam in charitate.

Oportet autem membra esse conformia Capiti, quoad fieri potest, & Caput esse exemplar membrorum, loquendo de capite politici corporis. Unde est illud Apostoli ad Rom. 8. sup. adhuc citatum: Quos præcivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Subiungit: ut qui Filii non meruit sibi suam prædestinationem, igitur

igitur neque prædestinati merentur sibi suam prædestinationem. Ut proinde cum S. Aug. de Prædest. SS. t. 15. dicere possis, & verò de-
beas: *Ea gratia sit ab initio fidei sua homo quicumque Christianus, quæ gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo est ille natus &c.*

Sed enim, dicit aliquis; istud Subsumptum non est certum; nam innititur, ut patet ex dictis, huic principio: meritum debet antecedere præmi-
um; quod non parvam habet difficultatem; quia id videtur negari à pluribus Scholasticis, qui dicunt, in humana natura Christi debuisse præcedere gratiam habitualement, per quam red-
deretur digna assumptione seu unione hypo-
stasica. Hanc autem gratiam non est verisimile fuisse otiosam pro illo signo naturæ, ita ut nul-
lum boni operis fructum proferret, v.g. dilectionem Dei super omnia, & acceptationem unionis cum Verbo. Sanè nec Angelo, nec primo homini (etiam si in gratia creati sint) collata fuit gratia habitualis absque propria & li-
bera dispositione; prout nec modò sine ea con-
ferretur adulto peccatori; ergo nec naturæ, à Verbo assumptæ, collata fuisse videtur gratia unionis absque propria & libera dispositione; & sicut in peccatore adulto hæc dispositio est meritum congruum primæ gratiæ justificantis, quidni etiam in humana natura fuerit meritum congruum gratiæ unionis? Accedit, quòd electi Angeli, juxta Aliquorum sententiam, acceperint beatitudinem propter merita futu-
ra, id est, propter ministeria impendenda cir-
cà homines.

Et reverà, quòd non repugnet, quæpiam accipere præmiu anticipatum propter merita futura, patet ex rebus humanis: Rex enim sæpè dat militi equum & arma in mercedem futuri servitii militaris, quod ab illo expectat, & ita sæpè alias contingit, mercedem anticipatam dari. Ecce objectio contra rationem desump-
tam ab exemplo prædestinationis Christi: sed facilem habet solutionem. Nam gratia concessa illa doctrinà de gratia habituali, & ejus actu (quæ tamen falsa est) responderetur: neutrum habuisse rationem meriti respectu unionis hypo-
stasice; eò quòd nulla foret proportio inter illa; quia dignitas unionis illius est quasi infi-
nita; gratia autem & actus ejus, nisi fundentur in illa unione, simpliciter sunt finita, & nullam prorsus habent infinitatem.

Unde est communior sententia Doctorum, etiam antiquos Patres, & B. Virginem non potuisse vel de congruo mereri Incarnationem Verbi quoad substantiam, sed solum quoad cir-
cumstantias ejus; ut quòd tali tempore fieret, & ex stirpe Abraham, atque ex tali Virgine &c. ut patet ex Tract. de Incarn. idque propter di-
ctam improprietatem. Igitur qui admitteret, naturam humanam Christi prius extitisse, & habuisse gratiam habitualement, atque actum di-
lectionis, non ideò deberet consequenter dice-
re, ea habuisse rationem meriti respectu unio-
nis hypostasice quoad ejus substantiam.

Tomus II.

Sed nunquid etiam talis improprietate inter gratiam Angelorum, & ministeria impendenda circà homines? Manifestum est quòd non: nam utrumque est simpliciter finitum; ergo ab An-
gelis non licet argumentari ad Christum, sive ad opera præcedentia Incarnationem. Omitto illam sententiam de Angelis communiter rejici à Doctoribus, ut notat Scotus 2. Dist. 5. q. 1.
6. In ista questione, n. 2. ubi sic ait: In ista qua-
stione secunda non tenetur Magister, qui in fine hujus quinta Dist. magis illam opinionem approbat, subsequen-
qua dicit ipsos (Angelos) fuisse beatos, antequam ip-
si eam (beatitudinem) meruerunt; sed merentur eam modò per obsequia impensa electis; sicut miles meretur equum, benè militaturus per eum; sed non tenetur hoc.

Atque ut teneretur, inde ad summum seque-
retur, quòd meritum non debeat tempore præ-
cedere præmiu; sed ordine naturæ, qui in hoc consistit, quòd efficiens causa præmii, ut præmiu, non sit efficiens causa meriti, licet sit causa ejus finalis. Unde (inquit Smil. sup. n. 393.) quia in Angelis gloria æterna non est efficiens causa meriti, etiam si dicatur, meritum ipsorum tempore posterius consecutione glo-
riæ eorum, sed causa efficiens meriti illius est gratia, quam Angeli non meruerunt, sed prius naturæ; quàm meruerint, gratiæ acceperunt; ideò tenet prædicta sententia, potuisse Angelos me-
reri, & de facto meruisse consecutionem bea-
titudinis per opera illam consequentia.

Contrà verò, cum radix & causa meritorum Christi sit gratia unionis, & causa principium-
que meriti non cadat sub meritum, ut est com-
mune axioma in Theologia; diceret illa sen-
tentia, non similiter atque Angeli meruerunt suam beatitudinem per opera sequentia conse-
cutionem ejus, potuisse Christum mereri gra-
tiam unionis per opera eam gratiam subsequuta. Sic ille. Itaque, ut sup. adhuc dixi, non valet hic argumentum ab Angelis ad Christum. Sed neque ab homine, qui de congruo meretur suam justificationem. Quippe prius tempore, vel naturæ, quàm se ad eam disponat, existit in ratione suppositi, habetque talis dispositio, quatenus in gratiæ auxilio fundata, sufficientem proportionem ad gratiam habitualement de con-
gruo promerendam, cum sint ejusdem ordinis, nec ista gratia habitualis illam dispositionem infinità dignitate antecellat, quæ constat in Christo non habere locum.

Interim ex hoc merito hominis patet, ad rationem meriti & præmii ut sic non requiri, ut illud isto sit prius tempore; nam ultima di-
positio ad justificationem non tempore, sed naturæ solum est prior justificatione. Adde; quòd certà fide tenendum sit, Patribus antiqui Testamenti datam fuisse gratiam propter merita Christi futura. Eodem igitur modo (inquit Smiling sup.) spectando præcise ordinem tem-
poris inter Verbi Incarnationem & merita, dici posset, Christum per merita subsequenta po-
tuisse mereri Incarnationem; sed solum id non potuisse spectando ordinem naturæ inter ista; quia

79.

Non valet hic argu-
mentum ab
Angelis ad
Christum.

An Angeli
meruerint
suam præ-
destinationem
per opera
subsequen-
tia.

80.

Meriti or-
dine natura
debet præ-
cedere præ-
miu.

Quare Ali-
qui doceant
Angelos
meruisse
suam glori-
am per opera
subsequentia.
Smiling.

81.

Quare non
possit dici
de Chris-
to, respectu
gratiæ unio-
nis.

Non valet
hic argu-
mentum ab
homine, qui
de congruo
meretur ju-
stificationem,
ad Christum.

82.

Meritum
non debet
tempore
præcedere
præmiu.

quia ordine naturæ & dependentiæ meritum debet esse prius eo, quod quis meretur, & Christi meritum non est hoc modo prius, sed posterius Verbi Incarnatione. Hæc ille.

83. Unde (inquit idem Auctor sup. n. 394) quemadmodum rectè sequitur: Christus non potuit mereri suam Incarnationem (atque adeo nec prædestinationem ejus) quia ante illam non habuit principium merendi, sed ipsa gratia unionis est principium meritum ejus, ita sequitur, nos non possumus mereri primam gratiam (adeoque nec prædestinationem ejus) quia ante ipsam non habemus principium merendi, sed ipsa est illud principium; etiam si nos meritum nostrum principiumque ejus tempore anteedamus, & in hoc sit disparitas inter nos & Christum, quæ nihil refert: nam etiam si natura Christi humana tempore fuisset prior sui assumptione ad Verbum, æquè procederet ratio allata, & probaret, illam sui assumptionem mereri non potuisse. Ita Theod. Qui ibidem n.

395. aliam assignat similitudinem, & dissimilitudinem inter Christum & nos dicens: Licet in hoc sit dissimilitudo inter Christum & nos, quod ipse sit naturalis, nos autem adoptivi filii Dei, in eo quod ad præsentem causam pertinet est similitudo; quod sicut Christo principium merendi est sua filio, ita nobis principium merendi sit nostra filio vel dispositio ad illam; ex hoc enim ad propositum sequitur, neque ipsum suam, neque nos nostram filiationem promereri posse. Sic ille.

84. Itaque prædestinatio Christi fuit verum exemplar nostræ prædestinationis non solum in gratia & gloria Christo & nobis prædestinata; sed etiam in modo prædestinationis gratiæ & gloriæ, quoad gratuitum beneficium primæ gratiæ, quæ in Christo est gratia unionis, & in nobis gratia vocationis. Quamvis ergo Paulus (inquit Theod. sup.) locis allegatis non explicet similitudinem inter nos & Christum quoad meritum prædestinationis; ea tamen per argumentum à majori ad minus consequitur ex ratione imaginis, & ad imaginem facti, & ex ratione capitis & membrorum, quarum illam Christo, hanc nobis Paulus attribuit.

85. Etenim si Christus est imago electorum quoad tolerantiam passionum, & consecutionem gratiæ & gloriæ: & si est Caput eorum tam dignitate, quam causalitate, seu gratiæ & gloriæ influxu, ipse autem non potuit promereri suæ primæ gratiæ prædestinationem, quid miramur, si & ipsi electi, qui sunt facti ad imaginem, & qui sunt membra, quid miramur, inquam, si nec ipsi possint promereri primam suam gratiam? Deus est, qui fecit. Est enim de potentia absoluta non foret hoc axioma verum: Principium meriti non cadit sub merito; equidem Deum hic fuisse usum suæ potentia extraordinaria nulum extat vestigium, sive in Scriptura, sive in Traditione, seu in ratione, ut patebit ex solutione eorum, quæ Adversarii objiciunt.

86. Princeps sit, quod habetur Actorum 10. v. 34. In veritate comperi, quod non est personarum ac-

ceptor Deus. Et illud ad Rom. 2. v. 11. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Indubitat enim est, quia acceptio personarum peccatum est, quod nequit cadere in Deum. Sed nunquid in casu nostro est acceptio personarum? Absolutè quia non est debitum iustitiæ, vel solum distributivæ ad gratiam hominibus distribuendam, ut diximus agendo de virtutibus voluntatis diviniæ, & minus clarè significat S. Aug. de Dono persever. c. 8. ibi: Non sumus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratia suam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non i se injustus: ex uno quippe omnes in condemnationem nostram injustam judicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur gratiam diligit, qui non liberatur debitum agnoscit.

Adde, quod Deus nemini positive negat gratiam suam etiam efficacem, nisi post peccatum prævisum, ut dicemus Sectione sequenti, ubi de positiva reprobatione. Et omnibus de gratiam sufficientem, ut dictum est disp. 2. Sect. 4. Conclus. 3. & 4. Igitur cuius Deus vult miseretur, & quem vult indurat sine ullo vitio acceptio personarum, quia nec huius, nec illi debet misericordiam, & omnia operatur secundum æquissimum consilium voluntatis suæ, quamvis ex parte nostra nulla sit ratio, vel causa, aut dispositio ad primam misericordiam. Nil fortè observantiam legis naturæ placere vocat, remotissimam dispositionem, seu potius ablationem impedimenti gratiæ: tametsi & hoc negari posset, cum neque ex natura rei, utpote diversæ rationis cum gratia, neque ex voluntate Dei sit necessaria; etenim Deus sæpè maximis peccatoribus illam concedit, ut patet in Maria Magdalena, Paulo, Mathæo, Augustino, & aliis quam plurimis.

Obijciunt 2. istud Matth. 7. Petite & dabitur vobis: quare & invenietis: pulsate & aperietur vobis. Item quod scriptum est Zachar. 1. v. 3. Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & ego convertar ad vos. Itaque 30. v. 18. Expectat Dominus, misereatur vestri. Et Proverb. 16. v. 1. Homini animam preparare, cum aliis similibus Scripturis. Sed non convincunt intentum: nam facile respondetur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. In sacris Literis cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostre monemur. Cum responderetur: Convertite nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præstare consuevit.

Monet ergo Scriptura petere non primam gratiam (quia sine illa, ut ait Apostolus Rom. 8. v. 26.) Quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipsi Spiritus (per gratiam suam internam) postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, (id est, facit nos postulare) sed uberiorem gratiam actualem, quam etiam primam gratiam habitalem. Atque de hac gratia intelligi potest parabola Christi, quæ tertio loco objiciunt Heretici Matth. 25. v. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. Siquidem gratiam habitalem seu iustitiam

Quare Christus non potuit mereri suam Incarnationem, neque homo possit mereri primam gratiam.

Alia similitudo & dissimilitudo inter nos & Christum.

Prædestinatio Christi fuit exemplar nostræ, etiam in modo prædestinatio.

85. Probatio.

86.

canent, ut docet Trid. sess. 6. cap. 7. spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quæ tamen dispositio & cooperatio non habetur sine præveniente Spiritu sancti in inspiratione, ut ibidem definit can. 3. frequentis reno-
tis: si quis dixerit, sine præveniente Spiritu sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Quidni etiam dicta parabola intelligi possit de gratia actuali? Nam & hanc distribuit Deus secundum propriam cuiusque virtutem, id est, secundum cuiusque naturalia, ut alibi vidimus; quia sic unumquemque vocat, prout novit aptum & congruum esse ejus libertati & naturali dispositioni, ut vocantem sequatur, juxta illud D. Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ante medium: Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei. Et paulo post: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem, ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, quæ moveri non possent (id est, quæ non moverentur) nec eam capere apti essent, vocati quidem dici possunt, sed non electi. De quibus infra subdit: Si vellent etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur (non dicit, possent moveri) & intelligerent, & sequerentur. Plura similia habet Aug. ibi & alibi, quæ breviter gratiâ prætereo. Vide Smil. sup. n. 416.

Ubi bene notat, naturalem illam hominis dispositionem non esse meritum, vel conditionem; propter quam detur talis gratia; sed solum esse quid suppositum gratiæ, cui illa accommodatur: quemadmodum non sequitur, gratia supponit naturam; ergo natura meretur gratiam. Alioqui melius secundum naturalia dispositis debentur majora auxilia gratiæ, quod sæpè fallit, id est, sæpè contingit, ut his dentur minora auxilia gratiæ, & illis, qui pejus dispositi sunt, majora. Audite D. Aug. sup. sub finem: Quid volebat Saul, nisi ut invaderet, & traheret, vinceret & necaret Christianos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam ceca! Qui tamen unicâ desuper voce prostratus, occurrente tali viso, quo mens illa & voluntas, refusa à savitia, retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est.

Ubi illa exaggeratio? Tali viso &c. significat non sine vehementissimo auxilio potuisse animum Pauli erga fidem Christianam pessimè affectum tam subito ad eandem converti. Sic ergo (inquit Smil. sup.) pejus dispositis secundum naturalia (sub quibus nunc acquisita comprehendendo) majora sæpè dantur auxilia, quibus efficeretur vocantur ad bonum: nullo modo naturalibus ea auxilia homines promerentur, sed gratis illa accipiunt à Deo, naturæ defectui suæ gratiæ abundantia occurrente, ad

laudem gloriæ ejusdem gratiæ suæ, attestante Paulo Rom. 5. v. 20. Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia. Et 1. ad Timot. 1. postquam de seipso dixerat v. 13: Qui prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum. Subdit v. 14. Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.

Et quare putas perfectissimum Angelum non fuisse prædestinatum? Utique ut Deus ostenderet, quod non oporteret eum conferre gratiam aut gloriam secundum ordinem naturarum. Igitur talis dispositio remotissima, si ita placeat eam vocare, nullo modo Deum obligat; obligaret autem aliquo modo, si foret meritoria etiam solum de congruo. Appositè dixit Apostolus 1. Cor. 1. v. 26. Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriaretur omnis caro in conspectu ejus.

Accedit: quod non omnia, quæ dicuntur in parabolis, debeant quadrare in eam rem, cui parabola accommodatur; sed satis est, si ea quadrent, quæ ad scopum parabolæ faciunt. Quod manifestum est (inquit Theod. sup.) in parabola de operariis vineæ Matth. 20. qui dicuntur murmurasse contra patrem familias in retributione æternæ mercedis (si de illa mercede intelligatur parabola) in qua retributione murmuratio esse non potest: & in parabola distributionis talentorum (quam modò tractamus) etiam certum est non posse cœlesti Domino verè accommodari, quod in ea de ipso dicitur: Scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti &c. Eodem igitur modo illud, quod de distributione talentorum secundum propriam cuiusque servi virtutem in eadem parabola dicitur, non est necesse quoad hanc partem de propria virtute accommodare hominibus; quia nihil facit ad scopum parabolæ, qui est tum necessitas talenti gratiæ ad negotiandum pro nostra salute, tum maxime admonitio de necessitate bonorum operum, atque adeo boni usus gratiæ ad salutem, & de certo tempore ad hujusmodi salutis meritum præfinito, quod est tempus hujus vitæ, post quod venit Dominus, & ponet rationem cum servis suis. Hæc tenet Smil.

Instat aliquis: Ecclesiastici 15. v. 14. scriptum est: Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit illum in manu consilii sui &c. quod placuerit ei dabitur illi. Respondet Smil. sup. n. 417. supposita gratiâ ad hoc ut possit ei placere bonum salutis; solum ergo arbitrii libertas commendatur hoc loco, non verò gratiæ necessitas excluditur: imò satis apertè insinuat, eum dicitur, quod Deus ab initio fecerit hominem rectum, id est, gratiæ donis à creationis initio instructum, & sic illum in manu consilii sui reliquerit,

93.
Quare perfectissimus Angelus non fuerit prædestinatus.

94.
Quid requiratur ad veritatem alienius parabolæ. Smil.

95.
Instantia ex Script. Eccl. 14.

Responsio Smil. ibi solum commendari libertatem arbitrii.

reliquerit, ut si, vellet, cum gratiæ auxilio eam rectitudinem conservaret; post lapsum quoque sufficientia illi offert auxilia ad resurgendum & perseverandum in bono. Sic ille.

96.
Non exclu-
ditur neces-
sitas gra-
tia.

Tu nota, quod in Biblia vulgata non ponitur *ly Rectum*. Interim necessitas gratiæ colligitur ex eo, quod dicitur v. 19. Quoniam multa sapientia Dei & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione, dando scilicet ipsis gratiam sufficientem, quâ possint cum libero arbitrio eligere vitam, & bonum. Nam v. 18. habetur: Ante hominem mors & vita, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Heculè Deum constituisse ab initio hominem rectum, apertissimis verbis docet D. Aug. l. 14. de Civit. c. 11. ibi: Fecit itaque Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ. Et ubi, quæso, scriptum est? Reor Ecclesiasticæ 7. v. 30. Solummodò hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.

Deus ab
initio con-
stituit ho-
minem re-
ctum.
D. Aug.

97.
Dedit quo-
que ei gra-
tiam.
Ipsum re-
liquit in
ejus libero
arbitrio, ex
D. Aug.

Et verò non solum fecit hominem rectum, id est bonæ voluntatis, sed etiam dedit ei gratiam. In qua (teste S. Aug. de Corrept. & grat. cap. 11.) si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamen per liberum arbitrium deferere posset. Nec ipsum ergo Deus voluit esse sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio, quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem (quod ad salutem pertinet vitæ æternæ) nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono, hoc est, à Deo. Quia etsi (auditis rursum Augustinum Enchir. c. 106.) peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen justitia retinenda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium praberetur.

98.
Probatio à
simili.

Probat à simili: Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit; nemo est enim qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo possit occidere; ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adiutoria sive alimentorum, sive quorumcumque nutrimentum desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita justitia, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat (rectum, id est, eum amore casto) adjuvaret. Hoc autem adiutorium (ut notat idem S. Doct. sup. de Corrept.) si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus, sed deseruit & deseruit est. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Hactenus Aug. de primo homine.

99.
Homo lap-
sus indiget
adiutorio
gratia.
S. Aug.

Et siquidem hic indigebat adiutorio gratiæ, multò magis homo lapsus indiget, de quo sic loquitur lib. 1. Retract. c. 10. Verum est, omnino omnes homines posse se converterre ad Dei præcepta implenda si velint; sed preparatur voluntas à Domino (per gratiam prævenientem) & tantum augetur munere charitatis (per gratiam subsequenter) ut possint, id est, ut impleant.

100.
Nemo habet
de suo nisi
mendacium
& peccatū.

Etenim (ut loquitur tract. 5. in Joan.) Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sistere in hac eremo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione

interim consolati, ne deficiamus in via, veniat ad ejus requiem satietatemque possimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur, qui loquitur veritatem de Deo loquitur. Id est, nemo habet de suo veritatem atque justitiam satientem, sed mendacium & peccatum. Et, amabo, quæ istæ guttæ, quibus irroramur, & in hac peregrinatione consolamur, nisi auxilia gratiæ, quibus liberum arbitrium adjuvatur, ut placeat ei vita & bonum, ac mors atque malum displiceat? Igitur Scriptura Ecclesiastici 15. non impugnat nos, sed magis defendit.

Videamus si fortè nos expugnet (etique obiectio tertia) quod ait Paulus Rom. 1. v. 21. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt &c. Sequitur v. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum &c. Et de seipso dicit Apostolus 1. Timot. 1. v. 13. Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Ergo Gentilibus Deus negavit gratiam vocatam ad fidem propter suam demeritam; Paulo autem concessit, quia, quæ malè fecerat, per ignorantiam excusabantur, si non à toto, saltem ab enormi malitia. Respondetur: *ly Quia*, & *ly Propter*, in dictis Scripturis non habere propriam causalem, sed concomitantiam significare, ut posterioris Scripturæ sensus sit: Cum ignorans fecissem, misericordiam consecutus sum; prioris autem: cum Gentiles Deum, quem cognoverant, non glorificaverint, traditi sunt in desideria cordis eorum.

Ratio autem illius concomitantie est sola voluntas Dei, quæ non ponentibus obtemperare solet liberaliter gratiam impetiri, ponentibus autem aliquando eam denegare in peccati peccati, ut contigit Gentilibus, de quibus Paulus Rom. 1. aliquando verò ex arcano sapientiæ suæ iudicio eam largiter communicare, ut in Matthæo, Zachæo, Magdalena, Paulo & aliis infinitis accidisse videmus. Deinde; si Gentiles glorificassent Deum, scilicet ex gratia præveniente, quam sufficientem habebant, non fuissent dati in reprobam sententiam, sed ulteriorem gratiam promeriti, per quam tandem pervenissent ad justificationem & salutem.

Unde quod dicitur 1. Timot. 2. v. 4. Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, subintelligendo, si ipsi velint; licet sit verum de secunda gratia; non tamen de gratia omnino prima, quæ non est in hominis potestate, sed à Deo liberaliter omnibus omnino datur, & præstat vel potestatem volendi obtinere gratiam ulteriorem, vel etiam ipsam huiusmodi voluntatem, si efficitur sit. Sic ergo Gentiles, de quibus Paulus, habuerunt quidem primam gratiam, quâ possent velle ulteriorem; sed non quâ factum est, ut vellet, id est, habuerunt gratiam sufficientem (quod significatur illis verbis: Quia cum cognovissent Deum non tamen effecem. At verò Paulus habuit primam gratiam efficacem, quâ, cum cognovisset Christum, dixit: Domine, quid me vis facere? Act. 9. v. 6. Porro ut vera sit dicta Scripturæ

Fuit omnis homines salvos fieri, sufficit, ut detur omnibus gratia aliquo modo sufficiens, prout suo loco latius dictum fuit.

Sed instat aliquis: cum Christus æqualiter pro omnibus mortuus sit, æqualis debetur omnibus gratia. Respondetur: Christus pro omnibus æqualiter mortuus est quoad sufficientiam, quæ ad exhibitionem pretii, æquæ sufficientis ad redemptionem unius atque alterius (quia, si Deus voluisset, mors Christi planè sufficiebat, ut propter eam daret omnibus gratiam efficacem) secus verò quoad applicationem, quia non omnibus æqualiter applicata fuit. Loquatur S. Prosper Resp. 1. ad Object. Vincent. Quod ad magnitudinem pretii, & quod ad unam debetur causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertransiunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam, à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint erui, redemptionis proprietates (id est, redemptio activa & passiva) haud dubiè penes illos est, de quibus Princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.

Et post pauca: Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus proficiat, sed si non dabitur, id est, applicatur non medetur. Igitur quia mors Christi non omnibus æqualiter applicatur, sit, ut uni detur gratia sufficiens tantum, alteri autem gratia efficax, de quo plura infra, ubi de merito Christi. Si inferas ergo aliquis oblique suo demerito infallibiliter damnabitur, scilicet ille, qui habet gratiam tantum sufficientem. Respondetur: infallibiliter quidem damnandum, sed propter demerita liberè perpetrata, puta peccatum mortale originale vel actualè, adeòque liberè & non necessariò necessitate antecedente, de quo alibi diximus, & Sect. sequenti adhuc dicemus.

Similiter ex jam dictis non sequitur, hominem seipsum discernere. Etsi namque pendeat in executione à libero arbitrio, quod aliqui salventur, aliqui verò non, & eo modo seipsos discernant, non tamen per solas vires liberi arbitrii. Quippe cum Apostolus dixisset 1. Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Statim subiunxit: Quid autem habes, quod non accepisti? Ergo opera, per quæ homo seipsum discernit, habet ex gratia Dei, & non ex solis viribus naturæ. Et de operibus ex viribus naturæ loquitur Apostolus Rom. 9. v. 11. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori. Fateor lubens, homines per bona opera moralia promereri gratiam remissionis peccatorum, & vitam æternam; sed nequid facta ex solis viribus naturæ? Nequaquam, sed ex fide & gratia præveniente, adiuvante atque cooperante. Nā, ut testatur Apostolus Hebr. 11. v. 6. Sine fide impossibile est placere Deo, Utiq; sine fide supernaturali, quæ non habetur abique ejusmodi gratia.

Nec obstat exemplum Cornelii, de quo di-

citur Act. 10. v. 4. Orationes tuæ, & elemosynæ tuæ commemoratae sunt in conspectu Dei. Et v. 31. Cornelii exaudita est oratio tua, & elemosynæ tuæ commemoratae sunt in conspectu Dei. Et tamen adhuc erat infidelis; Respondetur namque ex D. Aug. de Prædest. SS. cap. 7. Sæpe dicit, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius accepta sunt elemosynæ, & exaudita orationes, antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat.

Igitur, secundum D. Aug. ante adventum Petri Cornelius erat fidelis; alioqui quomodo rectè diceretur v. 2. Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multis plebi, & deprecans Deum semper? Quando ergo iib. 1. de Baptis. c. 8. vocat ipsum gentilem dicens: Neque enim & Cornelii gentilis hominis orationes non sunt exaudita &c. per gentilem intelligit, qui nondum explicite in Christum crediderat, qualis erat Cornelius ante adventum Petri. Hinc Aug. d. cap. 7. de Prædest. SS. in fine: Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur.

Antequam, inquam, in Christum crederet, & per Baptismum adscriptus foret in ejus Ecclesiam. Et ideo d. cap. 8. significat, illum nondum fuisse lapidem vivum, & in eo nondum habitasse Deum. Itemque q. 93. super Num. Cornelium audientem, & credentem quod prædicaverat Petrus, esse mutatum: quia videlicet ante Baptismum non fuerit lapis vivus Ecclesiæ Christi, licet simpliciter esset lapis vivus; & quod ante Petri conacionem, & fidem Christi, non fuerit illa abundantia gratiæ inhabitatus à Deo, & mundatus, quam accepit Petro prædicante, & ipso credente in Christum, & suscipiente Baptismum. Itaque nec hoc exemplum quidquam juvat Hæreticos, Uti nec Scripturæ, quæ videntur significare, in hominis potestate esse, ut sit prædestinatus vel non, v. g. Timoth. 2. v. 21. Si quis emundaverit se ab istis iniquitatibus erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Item Petri 2. cap. 1. v. 10. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Etenim ad primam Scripturam respondetur: Apostolus solum proponit nobis aliquod signum, per quod quasi ab effectu judicandum sit, quis sit prædestinatus. Hæc enim vasa eo modo accipienda sunt, quo ad Rom. 9. ubi eorum discriminem ex sola voluntate artificis oritur, v. 21. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Deinde dici potest: Paulum ibi, sicut & Petrum loco citato locutos fuisse de prædestinatione in executione; sic quippe quoad aliquos effectus dependet à nostra voluntate; nam gloria æterna, ut infra videbimus, nostris bonis operibus obtinenda est. Potest etiam responderi: dictas Scripturas loqui de prædestinatione ad præsentem iustitiam, ad quam datur meritum

Non obstat exemplum Cornelii Act. 10.

S. Aug.

108.

Cornelius erat fidelis ante adventum Petri.

Quar, Aug. vocet ipsum gentilem.

109.

Qualiter per prædestinationem Petri fuerit mutatus.

Scriptura, quæ ponunt prædestinationem in hominis potestates non favent Hæreticis.

110.

Exponitur, quod ait Apost. 2. Timoth. 2.

meritum congruum, fundatum tamen in gratia actuali.

III. Et consimili modo intelligi potest, quod dicitur Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, scilicet debitam secundum presentem iustitiam. Vel sanè (inquit Theod. supra n. 422.) significatur hac admonitione, quod prædestinatio non mandetur executioni quoad omnes effectus sine liberâ hominis adulti cooperatione; quæ tamen cooperatio non est causa meritoria prædestinationis, sed est prædestinationis effectus: bene autem intelligi potest, quod in aliqua effectuum serie unus sine alio non mandetur executioni, quâvis unus non sit agendi ratio seu motivum producendi alterum: ut homo non potest generare hominem, quin illum generet cum naturalibus suis proprietatibus; nec tamen istæ sunt motivum voluntatis generandi hominem; nec potest quis cæcum ducere, nisi cæcus velit sequi; nec pauperi dare elemosynam, nisi is velit accipere, licet sequela cæci non sit motivum, ob quod quis illum vult ducere; nec acceptatio elemosynæ sit motivum voluntatis dandi elemosynam. Eodem igitur modo executio quorundam prædestinationis effectuum pendet à libera hominis cooperatione, etiam eorundem prædestinatio ab ea cooperatione non pendeat. Hæc ille, conformiter ad ea, quæ antè dicta sunt.

II2. Ultimò obijciat ex Scripturâ, quod ait Apostolus Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit & prædestinavit &c.* ubi præscientia operum supponitur prædestinationi, & quidem operum naturæ; nam opera gratiæ supponunt primam gratiam vocantem; hæc autem supponit prædestinationem, juxta illud ibidem v. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit.* Sensus ergo d. Scripturæ est: quorum opera bona naturalia præscivit Deus, illos prædestinavit. Respondetur: minimè hunc sensum esse. Quis ergo? Deus hos, quos præscivit bene usus gratiæ suæ, illos etiam prædestinavit; quia scilicet præscientia visionis fundatur in prædestinatione, ita ut Deus non præsciverit aliquem bene usurum suâ gratiâ, nisi prius ipsum ad talem usum prædestinasset; unde, ut statim audivimus: *Quos prædestinavit, hos & vocavit.*

II3. Hæc non est mea doctrina (quâquam alioquin mea) sed D. Aug. de Prædest. SS. c. 17. ibi: *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: electi sunt autem de mundo eâ vocatione, quâ Deus id, quod prædestinavit, implevit.* Et cap. 10. hæc scribit: *Quod ait Apost. (ad Ephes. 2. v. 9. & 10.) Non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, gratia est.* Quod autem sequitur: *Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia.* Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Igitur frustra laborant Adversarii, conantes ex Scriptura

probare, prædestinationem totalem factam fuisse ex meritis eam præcedentibus; adeoque non esse gratuitam.

Sed nunquid Traditio ipsi favet? Id falsò fingunt imaginantur, causantes doctrinam D. Augustini de gratuita prædestinatione esse novam, & Patres, qui ante ipsum scripserant, prædestinationem ex meritis factam docuisse, ut de Massiliensibus refert Prosper Episc. ad Aug. ibi: *Obstinationem suam vetustate defendunt, & ea, quæ de Epistola apostoli Pauli, Romani scribuntur, ad manifestationem divini gratiæ, prævenientis electorum merita proferunt, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, agnoscant.* Et intra: *Illud etiam qualiter dilatur, quæsumus (patienter inspiciamus nostram ferendam) demones, quod retractis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una sententia, quæ propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam (meritorum) receperunt.*

Quinimò, ut ait Hilarius in Epist. lxxi. ad eundem Aug. *Hoc non solum aliorum Catholicorum testimonio, sed etiam sanctitatis tue dispositione, & antiquiore se probare testantur.* Verum enimvero probationes huiusmodi nullius pili sunt, ut patet ostendam. Nam in primis, quod dixerat ibi de Sex quæstionibus Paganorum q. 2. post medium; scilicet, *Voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quæ sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, implet lib. de Prædest. SS. c. 9. sic exponit: Cernitisne me sine præiudicio latenti consilii Dei, aliamque causam hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincenda paganorum infidelitatem, qui hanc obijcerant quæstionem, sufficere videretur?*

Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum, predicato sibi Christo, à seipso habituri essent fidem, an, Deo donante, sumpturi, id est, utrum tantummodo præscivit, an etiam prædestinaverit Deus, quærare ac differere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi: *Tunc voluisse hominibus apparere &c.* posset etiam sic dici, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.* Igitur ex hac disputatione antiquiore D. Aug. ineptè probatur, eum sentisse eum Massiliensibus.

Ut & ex illo, quod eadem quæstione citè finem dixerat: *Salus religionis hujus, per quam scilicet veram salutem vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, &c.* nus non fuit. Nam hoc dictum ita ipse exponit de Prædest. SS. c. 10. in principio: *Si (inquit) discutiatur & queratur, unde quisque sit dignus, non defuit, qui dicant, voluntate humana; non autem dicimus, gratiâ vel prædestinatione divina.* Inter gratiam porro & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia verò jam ipsa donatio. In quæ loquitur Augustinus de dignitate non per voluntatem hominum, de qua loquebantur Massilienses; sed

de dignitate per gratiam vel prædestinationem, quam hi negant.

Et producant pro se aliud testimonium D. Aug. ex lib. 83. qq. q. 68. ubi sic ait: *Propter hoc vult miseretur (Deus) & quæ vult oduratur.* Sed hac voluntas Dei injusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis; quia & ipsi peccatores, cum propter generale peccatum unam massam fecerint, non tamen nulla est inter illos diversitas. Præterea ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sunt iustificatione. Sed aperti oculos & vide, hic non esse sermonem de prima gratia actuali, sed de merito primæ gratiæ iustificantis. Verba sunt clara. Et oppositum de prima gratia actuali acrius oppugnat lib. 1. ad Simplic. q. 2. Vel ergo loquitur hic de uberiori auxilio seu gratia actuali, cuius datur meritum congruum per opera facta ex primo auxilio, aut certe de prima gratia iustificante, quod magis significant verba præallegata. Nam & huius gratiæ datur meritum, non quo peccator efficiatur dignus, ex stricta iustitia, sed solum ex quadam congruitate, id est, meritum congruum, non condignum.

Omitto, quod ait Magist. Sent. 1. Dist. 41. lit. C. verisimile esse, Augustinum hoc retractasse. Omitto, inquam, quia id non placet Scoto eâ distinct. q. un. n. 3. in fine dicenti: *Sed aliter posset argui contra expositionem Magistri, quod non invenitur, ubi Aug. illa verba retractet: quia sicut ipsius confitetur, & verum est, post illa verba, quæ adducit, sequuntur alia verba, quæ retractat de illa q. 68.*

Primo retract. c. 26. Et ista verba non retractat: videtur autem, quid, si intelligeret, ea esse retractanda, non inciperet à verbis sequentibus ista. Ut ut sit de hac expositione Magistri, sufficere debet, quod dicta auctoritas possit intelligi de gratia iustificante. De qua etiam intellige eundem S. Doctorem, quando alibi significat, diversitatem donorum gratiæ ex nostro merito oriri. Loquitur, inquam, de gratia iustificante, quæ requirit in adultis dispositionem, quam vocant meritum improprium, quia non est condignum, sed congruum tantum, ut infra videbimus; quod tamen meritum haberi non posse sine gratia Dei, docet dicens: *Nemo potest velle, nisi vocatus; & ideo etiam ipsum velle Deus operatur in nobis.* Ita refert Felix de Prædest. cap. 4. Dist. 2. n. 13. ex Serm. 10. de Verb. Domini. Sed ego nihil simile in d. Sermonem reperio. Fortè erit error Typographi.

Citat etiam aliqua verba ex Sermonem 6. (debet esse 7.) de Verb. Domini, ut puta: *Ergo illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.* Dicit verò ea intelligenda esse de ordine executionis. Adde, etiam explicari posse de præsumptione non ex propriis viribus, sed ex gratia Dei. Nam paucis verbis interjectis, inquit: *Nisi gratia mea plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse generassetes? Gratia autem mea plenus es; quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia præsumisti.* Et pari quoque ratione, quando lib. de Prædest. & grat. (si est liber ipsius, quod multi negant) quando, inquam, cap. 15. ait, Nabucho-

donosorem flagellatum respicuisse, Pharaonem autem non; quia ille, *Manum Dei sentiens, in reformatione propria iniquitatis ingemuit, non excludit primam gratiam actualem; sed intelligit, adjuvante Domino, ut ibi ipse loquitur in fine cap.*

Nec obstat: quod paulò ante dicat, Nabuchodonosorem meruisse poenitentiam fructuosam, nullâ intrinsecus vocatione pulsatum: nam intelligit juxta Smil. sup. n. 43. r. non de Nabuchodonosore poenitente; sed prius peccante antequam flagellaretur; ut colligitur ex hisce verbis: *Existere nihilominus fortasse aliquem reor, qui dicat, minus idoneam ad salutem viam, si nullâ intrinsecus vocatione pulsatus, tamē quispian flagellatur.* Unde Nabuchodonosor poenitentiam meruit fructuosam? Ita interrogat Auctor istius libri, & in fine d. cap. respondet, ut sup. notavi, *adjuvante Domino, scilicet per internam gratiam, dum flagellaretur.* Quæ cum ita sint, dico S. Augustinum in suis libris, dempro eo, in quo exposuit Epist. ad Romanos rectè sensisse de gratuita gratiæ prædestinatione. Quod autem perperam scripserat in illa Expositione, videlicet, fidem quâ in Deum credimus, esse à nobis, & ejus merito dari cætera dona gratiæ, hoc retractavit lib. 1. Retract. c. 23. ubi docet nostram & Catholicam sententiam.

Sed nunquid huic sententiæ adversantur alii SS. Patres, qui ante ipsum scripserunt? Noli putare, si non vis errare; sed dic, & intus dic, quia sic est ut dicis, nullum S. Patrem ante D. Augustinum sensisse, quàm hodiè docet Sancta, Romana, & Apostolica Ecclesia. Quod ne gratis dicere videar, conabor explicare ea, quæ ex Chrysostomo & Aliis solent ab Hæreticis adduci. Sanctus Chrysostomus (inquiunt) Homil. 17. in Joan. ad illud: *Conversus autem Iesus, ait: Hinc admoneri possumus, Deū suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates; sed à nobis incipiendum esse: sed cum nos prompto paratogue animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offerat salutis occasiones.* Et Homil. 12. in Ep. ad Hebr. in Expositione morali non longè à principio: *Oportet nos eligere primū quæ bona sunt, & tunc ipse Deus, quæ sua sunt, introducat.* Similiaque habet alibi.

Nec ipse tantum sic loquitur; sed etiam alii Patres tam Græci quàm Latini, quos videre poteris apud Smil. sup. n. 425. & Seqq. Ut propterea Aliqui existiment, ipsos errori Semipelagianorum accessisse. Sed ablit à nobis, ut non exponamus Sanctos in Catholico sensu, dum possumus. Optandum ut id facerent omnes.

Dico breviter ex Smiling sup. n. 443. Primò; quando Patres dicunt, *Nos incipere, Deum nos expectare, volentibus dare, non esse causam nostræ liberationis, eamve non esse ex providentia & prævisione Dei:* his loquendi modis non velle excludere gratiam ab exordio salutis; sed solum perhibere testimonium nostræ libertati, & significare, quod gratiæ prævenienti, quæ non est essentialis libertati, liberè cooperemur. Secundò; quando dicunt, *Deū tunc vocare eos, quos & quando seiv vocationi cooperaturos, & credituros, vel iustos, futuros,*

121.
Occurritur
objectioni.

122.
Nullus S.
Pater ante
S. Aug. aliter
sensit de
gratuita
prædest.
quàm hodiè
docet Eccle-
sia.

123.
Exponuntur
SS. Patres. Primò.

Secundò.

Tertio.

124.

Quarta ex-
positio quo-
rumda[m] ob-
servum S.
Chrysost.

S. Aug.

125.

Eodem mo-
do expo-
nuntur alia
verba ejusd[em]
Patris.

126.

Quomodo
intelligen-
dum, quod
dicit Chrys-
ostomus
profecisse
per scientiam
a natura
inditam.

Alia verba
ejusdem Pa-
tris expli-
cantur.

Subinde Pa-
tris prae-
destinatio.

futuros, vel vocare eos, qui digni sunt futuri, non negant id eos esse facturos, vel futuros per gratiam Dei, ut sup. ostendimus ex D. Aug. qui tali modo fuerat locutus lib. de Sex qq. Paganorum q. 2. Tertio, quando ajunt, *Credentibus & petentibus dari gratiam*; intelligunt credentibus & petentibus per auxilium gratiae.

Quarto, quando Chrysost. in Comment. cap. 9. ad Rom. dicit, Matthaeum fuisse vocatum propter latentem in eo virtutis pulchritudinem, voluntatisque nobilitatem; intelligendum est, eam latuisse ex beneficio aeternae praedestinationis, ut sensus sit, non quod virtutis pulchritudo, & nobilitas voluntatis ante vocationem competenter reipsa, sed quod competenter in praedestinatione, & in praescientia eam consequente. Quo utique sensu Christ. Joan. 10. v. 16. dixit: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Consimiliter intellige, quod habetur cap. 11. v. 51. & 52. *Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Quod utique (inquit Aug. de Corrupt. & Grat. c. 9. circa principium) credendo futuri erant per Evangelii predicationem, & tamen antequam esset factus, iam filii Dei erant in memoriali Patris sui inconcussa stabilitate conscripti.

Itaque Chrysost. nihil aliud vult, quam Christum vocasse Matthaeum; quia ab aeterno sciebat electum, ut esset virtutis pulchritudine & voluntatis nobilitate ornatus.

Et eodem modo dixit, in illud ejusdem cap. 9. *Iacob dilexi &c. rationem hujus diversitatis esse: Quia ille bonus, hic malus erat.* Non enim loquitur de ratione aeterni decreti, sed executionis ejus; ita ut Deus in tempore amoris affectus & signa exhibuerit Jacob; odii vero effectus & signa Esau; quia in praedestinatione & praescientia Dei Jacob bonus erat; Esau vero in voluntate permissiva, & praescientia malus; prout enim Deus ab aeterno decrevit facere, aut permittere in tempore, ita facit aut permittit in tempore.

Quinto, dum scribit Chrysost. Homil. 42. in Genesim, Abraham profecisse per scientiam, a natura inditam, & non per fidem, a parentibus acceptam, vocula *Per*, non dicit causam aut conditionem positivam, sed negativam; quia bene utendo naturalibus non posuit obicem gratia Dei, per quam profecit. Denique, quod dicit Chrysost. Homil. 3. in 1. ad Corinth. alios Philosophos per lumen rationis non solum praeparata servasse, sed etiam superasse; vel intelligitur de lumine rationis distincto contra lumen fidei, non autem destituto auxilio speciei, cui D. Aug. lib. 4. contra Julia. tribuit virtutes infidelium, si quae in eis fuerint; vel intelligitur de praecipis naturae quoad substantiam; ut cum quis servat castitatem propter vanam gloriam, facit iustitiam propter amicitiam &c. ad quod non requiritur gratia Dei. Ex his igitur constat, immerito Massiliensium errorem attribui Chrysostomo, & aliis qui-

buisdam Patribus. Ut omittam, quod bene observat D. Aug. de Dono Persever. cum subinde dicunt Patres, vocationem esse ex praescientia, nomine praescientiae appellare praedestinationem.

Haec sunt verba ejus in principio cap. 18. Vnde aliquando eadem praedestinatio significatur etiam nomine praescientiae, sicut ait Apostolus (Rom. 8. v. 2.) *Non repulit plebem suam, quam praescivit.* Hoc, quod ait, *Praescivit*, non recte intelligitur, nisi praedestinavit; quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudaorum, quae salva facta sunt, per amicum careris. Et aliquibus interpretis conclusit: Nullus igitur, qui hac intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*, praedestinationem significare voluisse. Ex quo, in principio cap. 19. idem allert de aliquibus verbis Dei Tractatoribus, dicens: *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legitur Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere? Ac si diceret: nihil prohibet nos sic intelligere.*

Rogat aliquis, quare voluerint hoc verbo in ea re uti. Respondet Augustinus ibidem: *Magis fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod facilius intelligitur, & non repugnat, imo & congruit veritati, quae de praedestinatione gratia praedicatur.* Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Porro errasse D. Chrysost. & alios Sanctos Patres, non est verisimile, maxime in re tanti momenti, qualis est necessitas gratiae. Si (inquit S. Aug. de Praedest. SS. cap. 14. circa medium) *de divinarum Scripturarum Tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem hujus praescientiae, quam nunc solito diligentius acquirimus contra novum Pelagianorum defendere cogimur errorem, hoc est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & gratis dari, cui datur, quia neque volentis, nec currentis, sed misericordiae Dei: iusto autem iudicio non dari, cui non datur, quia non est iniquitas apud Deum.* Si huius ergo sententiae defensionem ex divinarum eloquiorum non praecedentibus Catholicis Tractatoribus promerem, profecto hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent; hoc enim significasti literis vestris.

Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari, quod procul dubio facerent, si responderet talibus cogentur? Vnde factum est, ut quod de gratia Dei quid sentirent, breviter quibuscumque scriptorum suorum locis, & transseuerit attingerent; immorarentur vero in eis, quae adversus alios inimicos Ecclesiae disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita aeterna & vera felicitate serviant; frequentationibus autem orationum simpliciter apparatus Dei gratia quid valeret; non enim posceretur a Deo, quae praeceptis fieri, nisi ab illo donaretur ut facerent.

Ubi satis innotat Aug. Chrysostomum & alios Patres ante exortam hæresim Pelagianorum quibusdam locis recte sensisse de gratia, ut de Chrysostomo supra declaratum est. Videatur etiam Homilia ejus de Adam & Eva. Accedit inquit Felix de Grat. c. 5. diffie. 5. n. 5. quod in operibus Chrysostomi Venetiis editis an. 1583. sic legitur: Cum nos prompto paratoque per illum animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones. Notetur ly per illum, scilicet per primam gratiam Dei. Sic ille. Apud quem sit fides.

Similiter Marcus Bremita, qui citatur contra doctrinam Catholicam ex lib. de Paradiso & lege spirituali, ubi ait: Operis perfectio Dei est, voluntas autem hominis: Item: Ut mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Hic, inquam, in eodem lib. pro sententia Catholica sic scribit: Nunquam existimes te prævenisse Dominum in virtute, ex ejus sententia, que dicit: Ipse est, qui operatur in nobis & velle & perficere. Et in alio lib. de Paradiso & lege spirituali, inquit: Primum omnium certo scimus, Deum totius mundi esse auctorem, tum principium, tum medium, tum finem. Ex quo (inquit Felix sup. n. 6.) deduco, posse omnes Græcos Patres (addo ego, & Latinos) in bonum sensum & Catholicum adduci. Sic ille. Et si possint, cur non debeant? Videmus D. Augustinum semper allaborasse, ut antiquiores Patres, qui videri poterant subinde in materia gratiæ vero deviasse, ad sanum sensum & Catholicum reduceret.

Hinc Chrysostomum, quem Julianus adducebat, quasi negasset in parvulis peccatum originale, dicendo in quadam Homil. ad Neophytos: Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint inquinati peccato, ut eis detur vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint, exculat Aug. producendo verba græca, quæ à Joanne dicta sunt, & latine sic sonant: Ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes. Vides certe (inquit Aug. lib. 1. contra Julianum cap. 6.) non ab eo dictum esse, parvulos non inquinatos esse peccato, sive peccatis, sed non habere peccata, intellige propria, & nulla contentio est.

Et occurrens tacite instantiæ Juliani, pergit: At inquit: cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur; tali questione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus, securius loquebatur. Quis non intelligit, hæc etiam applicari posse presenti controversiæ? Noli ergo cum Semipelagianis objicere Augustino: Quid opus fuit hujusmodi disputationis incepto minus intelligentium tor corda turbare? Neque enim minus utiliter sine hac definitione (prædestinationis) tot annis à tot Tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & Aliorum, tum contra Alios, tum maxime contra Pelagianos defensa est Catholica fides.

Noli, inquam, sic loqui: nam bene respondet D. Aug. lib. de Dono persever. c. 20. Multum mi-

Tome II.

nor eos (ista) dicere, nec attendere, ut de Alis hic taceam, ipsos libros nostros, & antequam Pelagiani apparere cepissent conscriptos & editos. & videre quam multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam hæresim credebamus (aliàs, cadebamus) prædicando gratiam, quæ nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundum gratuitam misericordiam suam. Quod plenius sapere cepti in ea disputatione, quam scripsi ad beata memoria Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognovi & asserui. Respondet igitur D. Aug. fallum esse, quod sine hac definitione prædestinationis, id est, sine gratuita prædestinatione in suis præcedentibus libris fuerit defensa fides Catholica, prout dicto cap. demonstrat; atque alibi passim illo in libro, & in priori de Prædest. SS. sua priora opuscula pro hac veritate allegat.

Quod attinet ad alios Patres, lib. de Dono perlev. c. 14. adducit Cyprianum, dicens: Quod vidit fidelissimè Cyprianus & fidentissimè definiuit (lib. 3. ad Quirin. c. 4.) per quod utique prædestinationem certissimam pronuntiavit. Nam si in nullo glorandum est, quando nostrum nihil sit, profectò nec de obedientia perseverantissima glorandum est. Nec ita nostra, tanquam non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et c. 19. profert D. Ambrosium super Lucam in Expositione procemii, ubi, cum exponeret, quod ait Lucas Evangelista, visum est & mihi, sic inquit: Potest non solum visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantum humana visum est, sed sicut placuit ei, qui in me loquitur Christus, qui ut id, quod bonum est, nobis quoque videri bonum posuit, operatur; quem enim miseratur & vocat. Et ided, qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est & mihi: quod cum dicit, non negat Deo visum: à Deo enim preparatur voluntas hominum. Ut enim Deus honorificetur à Sancto, Dei gratia est. Simile quid habet in eodem opere, hoc est, in Expositione c. 9. e. iusdè Evangelii, quod ibidem Aug. refert, & aucturum subiungit: Quid evidentius, quid illustrius à verbi Dei tractatoribus quarimus, si & ab ipsis, quod in Scripturis clarum est, audire delectat?

Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, S. Gregoriū (Nazianzenum) addamus & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens (Orat. in Pentecost.) Unius Deitatis, quæso vos, confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite unius esse naturæ, & Deus vocem dari vobis à Spiritu sancto deprecabitur, id est, rogabitur Deus, ut permittat vobis dari vocem, quæ, quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim, certus sum, qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum; qui dedit credere, dabit & confiteri. Isti tales tantique Doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur, nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse; & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere consientes, ut permansuri convertamur ad eum; ut, quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus id illud &c. Hac utique gratia Dei tribuunt,

X 2

Dei

134.
Adducitur
Cyprianus
pro senten-
tia Catho-
lica.Idem D.
Ambrosius.135.
His duobus
additur S.
Gregorius
Nazianz.

Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse restantur. Hucusque S. Aug. Igitur non est, quod Semipelagiani gloriantur de anterioribus scriptis S. Aug. aut aliorum Patrum, qui ipsum præcesserunt.

136.
Obiectio
Semip.
Responsio
S. Aug.

Aliquando
debet taceri
aliquod ve-
rum propter
incapaces.

Sed enim (inquiunt) huiuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbantur. Respondet S. Aug. sup. cap. 16. Dicatur verum, maxime ubi aliqua questio, ut dicatur, impellit, & capiant qui possunt; ne forte, cum taceretur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt. Facile est enim, imò & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam unde est illud Domini (Joan. 16. v. 12.) Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo; Et illud Apostoli (1. Cor. 3. v. 1. & 2.) Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non eseam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Quamvis modo quodam dicendi fieri possit, ut id, quod dicitur, & parvulis lac, & grandibus esca sit.

137.
Exemplifi-
catur.

Qua causa
faciendi.

Sicut: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum (Joan. 1. v. 1.) quis Christianus tacere potest? quis capere? Aut quid in doctrina sana potest inveniri grandius? Quod tamen & parvulis non taceretur, & nec grandibus, nec parvulis occultatur. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere; quarum tamen est & hac una, ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cum autem res vera ita se habet, ut fiat peior, nobis eam dicentibus, ille, qui capere non potest, nobis autem tacentibus, ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat, quam tacendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit peior? Quid si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quid enim est capacior ut discat, eò magis est idoneus, ut alios doceat. Hæc S. Aug.

138.
Instantia
Pelagianorum
reijcitur ex
D. Aug.

Quæ ibidem sic applicat ad suum & nostrum propositum: Instat, inquit, inimicus gratia, atque urget modis omnibus, ut credatur secundum merita nostra dari, ac sic gratia jam non sit gratia. Et nos nolumus dicere, quod teste Scripturâ possumus dicere: timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis, offendatur, qui veritatem non potest capere, & non timemus, ne, tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur. Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sancta Scriptura evidenter eloquitur, ut in prædestinatis sine penitentia sint dona & vocatio Dei: aut gratiam Dei secundum nostra dari merita consensendum, quod sapiunt Pelagiani.

139.
Qualiter
debeat præ-
dicari my-
steriū præ-
destinatio-

Cæterum quomodo & qualiter sine perturbatione simplicium, seu eorum, qui non intelligunt possit & debeat hoc mysterium prædicari, fuscè docet Aug. eod. lib. e. 22. quod sic incipit: Quia tamen (prædestinatio) non ita populis prædi-

canda est, ut apud imperitam vel tardioris intelligentia multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei (quam certe negare non possunt) si dicatur hominibus: Sive curratis, sive dormiatis, quod vos præcivir, qui falli non potest, hoc eritis... Sed dicendum est: Sive currite, ut comprehendatis, atque ut ipso cursu vestro ita vos esse præcognitis noveritis, ut legitime curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, ut hominis segnitia repellatur. Quamvis ergo ita se habeat de prædicatione definita sententia voluntatis Dei, ut alii, ex infidelitate accepta voluntate obediendi, convertantur ad fidem, vel perseverent in fide; ceteri vero, qui in peccatorum damnabilium delectatione remanent, si & ipsi prædestinati sunt, idem nondum surrexerunt, quia nondum eos adiutorium gratia mysticantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, qui gratiâ suâ prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, quâ electi velint esse & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt. Quamvis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus, ut sermo ad ipsos etiam convertatur &c. Videatur totum caput.

Sed dicet aliquis, si sermo ad ipsos convertatur, si non, quid refert? Quippe sola scientia istius veritatis, quomodo cumque dicatur, lapsus videtur adimere curam refurgendi, & sanctis occasionem teporis adferre; eò quod utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ negligentia possit excidere. Irem cohortantium incitamenta locum apud infideles & negligentes non habebunt: Superflua quoque est industria ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Præterea inutiles est exhortandi consuetudo, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptio valeat excitare.

Adde: quod exhortatio ad orationem foret supervacanea, nisi possumus gratiam simpliciter emergeri, & ad eam pervenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pullando. Ac denique frustra exigitur ab homine obedientia, si hæc non sit in ejus libera facultate absque gratia, pro solo Dei arbitrio tribuenda uni, & alteri deneganda. Ita Massilienses (ut testantur Prosper & Hilar. in suis Epist. ad D. Aug.) argumentantur. Nunquid audiendi? Absit: sed prorsus rejecti, tanquam qui nihil horum possint probare. Si autem ipsi asserendo satis probaverint, ego negando quidni sufficienter reprobaverim?

Nego ergo jam dicta sequi ex Catholica sententia. Quamquam enim prædestinatio in intentione sit gratuita, secus tamen in executione, ut infra patebit, & eleganter annotavit S. Prosper. l. 2. de Vocat. Gentium cap. 35. dicens: Deus his quos elegit (in intentione) sine meritis, dat (in executione) unde ornantur & meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. Et ibid. e. 36. ait: Quamvis ergo, quod statuit Deus, nulla possit ratio, non fieri (id est, nulla ratione non fieri) studia

tamen non tolluntur orandi, nec per electionis pro-
positum liberi arbitrii devotio relaxatur; cum im-
plenda voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus,
ut per laborem operum, per instantiam supplicationum
(aliâ supplicantium) per exercitia virtutum, fiant
incrementa meritum, & qui bona gesserint, non so-
lum secundum propositum Dei; sed etiam secundum
sua merita coronentur. Sed de his plura infra; suf-
ficiat hic ea insinuasse, ut cognoscas prædesti-
nationem gratuitam, de qua hic tractamus, neque
Sanctis occasionem teporis adferre.

Appositè & præclare S. Aug. Magister Pro-
phetæ, de Dono persever. c. 17. non longè à
principio sicut (inquit ille) quem casum futurum
esset præcivit (Deus) quamvis id incertum habeat,
agitur casus sit: ita ille, quem casum futurum præ-
destinavit, quamvis id incertum habeat, non idèd
non agit, ut casus sit, quoniam Dei dono se audit fu-
turum esse, quod querit; imò etiam gaudet ejus cha-
ritate, nec inflatur, tanquam id non acceperit. Non
solum ergo prædicatione prædestinationis (gratuitæ)
ab hoc opere non impeditur, verum ad hoc adjuvatur,
ut, cum glorietur, in Domino glorietur. Quod autem
dicit de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de chari-
tate, de perseverantia, & ne pergam per singula,
hoc de omni obedientia, quâ obeditur Deo, veracissi-
mè dici potest.

Et sanè (ut notat S. Prosp. sup. in fine cap.)
Ob hoc (scilicet ne lapsus cura resurgendi adime-
meretur, & Sanctis afferretur occasio teporis)
in remotissimo ab humana cogitatione secreto præ-
finitio hujus electionis abscondita est. Propterea abseon-
dita est, ut patet ex alibi dictis, & idcirco cohæ-
rentiam incitamenta locum habent apud infide-
les & negligentes; neque superflua est industria,
atque laboris inditio, & utilis consuetudo ex-
hortandi, ut etiam exhortatio ad orationem.
Cum enim incertum sit, an infideles & negli-
gentes, quos incitamus & exhortamur ad ope-
ra salutis, & à quibus exigimus obedientiam,
cum, inquam, dubitari possit, an sint de numero
electorum; & quotidie videamus, infideles &
negligentes per gratiam Dei fieri fideles & dili-
gentes, atque inobedientes effici obedientes,
quis sanè mentis dixerit, suprà enumerata esse
frustranea & inutilia?

Dominus (inquit S. Aug. de Dono persever.
c. 14. circa finem) quum eis loqueretur, qui carnis
aures aptas haberent, dicebat tamen (Luc. 8. v.
8.) Qui habet aures audiendi audiat, quas non
omnes habere procul dubio noverat. A quo autem ha-
beant quicumque habent, ipse Dominus ostendit (Ba-
ruch. 2. v. 31.) ubi ait: dabo eis cor cognoscendi
me, & aures audientes (vel ut habet vulgata le-
ctio: Dabo eis cor, & intelligent, aures & audient)
aures ergo audiendi ipsum est donum. obediendi, ut,
qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo ve-
nit, nisi fuerit ei datum à Patre ipsius. Exhortamur
ergo & prædicamus; sed qui habent aures audiendi,
videlicet nos audiant: qui verò eas non habent, sit in
eis quod scriptum est (Math. 13. v. 13.) Ut audientes
non audiant; audientes videlicet corporis sensu, non
cordis assensu. Cur ergo (inquit ibidem

non longè à principio) prædicationi, præceptioni,
exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scrip-
tura divina, existimamus inutilem definitionem præ-
destinationis, quam commendat eadē Scriptura divina?

Hinc cap. 17. objectum argumentum egre-
giè retorquet in ipsos Massilienses, dicens: Cur
ergo & ipsi nobiscum prædicant, dona Dei esse sapien-
tiam & continentiam? Quod si hæc cum Dei dona
esse prædicantur, non impeditur hortatio, quâ homi-
nes hortamur esse sapientes & continentes; quæ tan-
dem causa est, ut existiment impediri exhortationem,
quâ exhortamur homines venire ad fidem, & in ea
permanere usque in finem? Itaque, ut concluda-
mus inceptum propositum, dico rursum, præ-
destinationem gratuitam nec lapsus adimere cu-
ram resurgendi, nec Sanctis occasionem teporis
adferre, nec cohortantium incitamenta inutilia
esse, aut superflua industria ac laboris indi-
tione, aut supervacanea orationis studium,
aut esse impossibilem obedientiam, si lapsi
ad resurgendum, vel iusti ad proficiendum, &
perseverandū, atque ad orandū, ut hæc possint,
adeoque ad implenda bona monita, & præcepta,
divino indigeant prævenientis gratiæ auxilio.

Ut quid ita? Quod (inquit Theod. sup. n.
453.) hoc auxilium pro loco & tempore omnibus
sufficiuntur detur, sitque adeo minime necessè,
quod merito hominis vel oratione obtineatur,
quantum ad primum prævenientis & adjuvantis
gratiæ auxilium, cum quo deinde ulteriora auxi-
lia impetrare potest: ut de oratione optimè re-
spondet Aug. lib. de Dono persever. cap. 6. &
16. & ex illo Prosp. lib. 2. de Vocat. Gent.
cap. 8. Et quantum ad correptionem attinet &
exhortationem, etiam respondet Aug. eod. lib.
c. 14. 15. 16. 17. quamvis quibusdam non pro-
sit, idèd omittendam non esse velut inutilem,
cum & aliis prosit, & qui non obediunt, vitio
suo non obediunt, ad credendum vel ad bene
vivendum, prout ad perseverandum in fide &
bonis moribus: nam illo cap. 17. admittit, quem-
que vitio suo deferere fidem, cum eedit tentati-
oni atque consentit, quâ cum illo agitur, ut defe-
rat fidem; & cap. 6. ejusd. lib. voluntate suâ
quemque deferere Deum. Hucusque Theod.
consequenter ad ea, quæ sup. dicta sunt. Videat
ur plenius S. Aug. locis citatis.

Sed his non contenti Hæretici, objiciunt: si
non pendet à libero hominum arbitrio & pro-
prio merito, quod Deus quosdam fecerit vasa
in honorem, quosdam autem vasa in ignomini-
am, fatalis quædam inducitur necessitas, aut di-
versarum naturarum dici debet Dominus con-
ditor; quia nemo aliud possit esse, quàm factus
est. Respondetur ex D. Aug. de Dono persever.
cap. 12. hoc argumentum æquè concludere in
parvulis atque in adultis; nempe, si fatum in-
ducitur, ubi meritum non est, illos etiam ita
esse prædestinatos, ut quidam fatali necessi-
tate mittantur ad regnum cælorum, alii verò
non. Nulla quippe merita propria, etiam se-
cundum ipsos Pelagianos, possunt in parvulis
inveniri, curalii eorum mittantur in regnum;
alii verò alienentur à regno.

X 3

Sed

146.
Retorquetur
objectū ar-
gumentum
Massiliensium
ex D. Aug.

Conclusio.

147.
Probatur
ex Theod.

148.
Obiectio
Hæreticorum.

Solvitur ex
D. Aug.

149.
Fato non cogitur
Deus
huic parvulo
subvenire. & alteri
non.

Eadem est
ratio de adultis.

150.
Responsio
Smif ad d.
objectionem.

151.
Qualiter
Deus exequatur
salutem vel
damnationem

Prædestinatio non inducit fatum.

Sed nunquid in parvulis fatum est? Consule D. Aug. sup. & confestim dicet tibi: Neque fato cogitur Deus ullis infantibus subvenire; illis autem, non subvenire, cum sit utrisque causa communis, aut res humanas in parvulis non divinâ providentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnanda vel liberanda sint anima, quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cælis est; aut parentum negligentia sic tribuendum est, quod parvuli sine Baptismo moriuntur, ut nihil ibi agant superna iudicia, tanquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur. parentes sibi negligentes voluntate propriâ, de quibus nascerentur, elegerint. Si fato Deus non cogitur huic parvulo subvenire, illi autem non; sed ibi aliquid agunt superna iudicia, quis audeat dicere, Deum fato eogi huic adulto dare gratiam efficacem, quâ salvetur, illi autem non? Quis cogitare præsumat, nihil ibi agere superna iudicia? Igitur tam in parvulis, quam in adultis proposita objectio locum habet, & ad eam

Respondetur (inquit Theod. sup. n. 454.) ea, quæ à causa libera sic proveniunt, ut huiusmodi causa non impediat libertatem, vel contingentiam aliarum causarum, quæ ad eorundem executionem concurrere possunt, ea, inquam, non evenire fatali necessitate: ita verò provenit à Deo, tanquam liberè eligente vel non eligente, quod aliqui sint vasa honoris, aliqui vasa ignominie, ut executio talis effectus pendeat etiam ab aliis liberis vel contingentibus causis, divinâ electione vel non electione, minime à libertatis exercitio, vel eventu contingentis impeditis.

Nam adultorum quidem salutem, vel damnationem sic exequitur Deus, ut non nisi liberè cooperando gratiæ Dei salutem consequantur, vel gratiæ non cooperando damnationem mereantur. Parvulorum quoque salutem, aut damnationem ita exequitur, ut causas liberas vel contingentes, quarum operâ parvulus (quia sibi ipsi opem ferre non potest) remedium peccati originalis consequi debet, sinat agere motus suos, nec impediendo per se illarum concursus ad parvuli salutem promovendam, nec semper tollendo huiusmodi causarum impedimenta. Unde licet sit necessarium ex hypothesi immutabilis decreti, & infallibilis præscientiæ Dei, solos & omnes electos tam parvulos quam adultos salvare; non est tamè necessarium simpliciter, & ex natura rei; quia nec præscientiâ, nec decreto divino aliæ liberæ vel contingentes causæ salutis humanæ per se impediuntur à sua actione; Hucusque Smif. Dico tribus verbis: optimè stat, Deum prædestinasse & gratiam, & opera bona, ac nihilominus creaturam agere motus suos, perque actiones liberas salutem æternam consequi, ut patet ex supradictis, ubi de concordia prædestinationis & præscientiæ Dei cum libertate. Atque ita (concludit præfatus Auctor) fatum (cujus appellatione Pelagiani intellexerunt necessitatem rerum omnium actionumque à Divino decreto provenientium) Catholica de prædestinatione sententia minime inducit,

aut diversarum naturarum Dominum conditionem allerit, quasi facientem naturas bonas & malas, seu naturalem necessitatem ad bonum vel malum hominibus inferentem. Sic ille.

Si tu inferas: ergo in prædestinatione non interveniunt iustitia & misericordia, quæ tamen in omnibus operibus Dei relucent. Respondet Felix de Prædest. cap. 4. diff. 2. num. 14. quod utraque reperitur; misericordia, quia prima gratia, & similiter gloria intenta est absque prævisis meritis; iustitia, quia gloria exequenda est per merita. Ita Francil. Et verò quid aliud clamat Trident. sess. 6. cap. 16? Bene, inquit, præstantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia fuit Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.

Igitur neque Scriptura sacra, nec Traditio, neque ratio favent Adversariis nostris; sed Exegetum & immobile permanet, quod docet nostra Conclusio, scilicet, neminem sibi ipsi esse causam totalis prædestinationis, causam, inquam, meritoriam, vel in ordine intentionis, vel in ordine executionis; cum primæ gratiæ actualis nullum omnino detur meritum ipsius prædestinati neque præcedens, de quo jam satis actum fuit; sed neque consequens aut concomitans, ut edidit Conclus. sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO II.

Primæ gratiæ actualis non datur meritum ex parte prædestinati consequens, sed neque concomitans.

Mrabitur fortè quispiam, & apud se tacito dicet cogitationibus: S. Augustinus accipimus gratuita prædestinationis assertor multiplex am excludit meritum subsequens aut concomitans; sed solum meminit meriti præcedens, ergo sine solido fundamento hæc Conclusio negat meritum consequens vel concomitans. Quid enim obstat, ne prima gratia dari queat à Deo tanquam præmio operis futuri naturalis vel supernaturalis? Quid vetat cooperatiorem liberi arbitrii cum prima gratia actuali esse & dici ejus meritum concomitans? Respondet id totum, quod obstat & vetat, ne detur meritum præcedens, & idè D. Aug. non meminit expressè meriti subsequens, aut concomitantis, quia supponebat rem actam esse de omni merito, dummodò posset convincere, non dari meritum præcedens.

Quippe Scripturæ non distinguunt inter unum & aliud meritum, sed generaliter probant, non dari meritum primæ gratiæ actualis, ne, si gratia ex operibus, jam non sit gratia. Quid autem cogit per ista opera potius intelligere præcedentia, quam subsequentia aut concomitantia? Nihil, proorsus, ut patet ex dicendis. Itaque